1.

MICHAELIS HAVEMANNI,
In Ducatibus Bremensi & Verdensi Superattendentis Generalis.

ADSERTIO RESPONSI MOSIS,

Contra Matrimonium cum defunctæ uxoris sorore.

Opposita

ADSERTIONI RESPONSI JURIS,

Pro matrimonio cum defunctæ uxoris sorore.

Quam

CHRISTOPH. JOACHIMUS Bucholtz JCtus, & in Ernestina Jurium Professor Publicus, contra celeberrimum JCtum, JOHANN: OTTONEM TABOR, olim in Academia Argentoratensi, jam autem in Giessena, Jurium Professorem, & Gamologiam meam de Jure Connubiorum, publici fecit juris.

I. Cor. c. XIII. vers. 8.

Non possumus quicquam adversus veritatem, sed pro veritate.

FRANCOFURTI
Sumptibus ERHARDI BERGERI, Bibliop. Bremensis.
ANNO cIↃ IↃ c LX.





ILLUSTRI ET GENEROSO
DOMINO

DN. MATTHIÆ BIO-RENKLOV,

Sacræ Regiæ Majeſtatis Sveciæ Conſiliario Status Aulico, & Præſidi Ducatuum Bremenſis & Verdenſis: Hæreditario in ELMENHOF, WANNESTAD & TISLINGE,

Domino ac Patrono ſuſpiciendo.



Lluſtris ac Generoſe Domine, Patrone ſuſpiciende. Ante quadriennium, publicæ luci meam expoſui Gamologiam, in qua, quænam perſonæ connubio jungi nequeant, & quænam permiſſione Juris divini contrahere poſſint, absque conſcientiæ, individui iſtius arbitri, ſcrupulo ac remorſu, ac ductum textus Moſaici immediatè inſpirati, & conſequenter αὐτοπίστου, dilucidè ſum interpretatus. Uxoris autem ſororem in lectum genialem adſciſcere velle, absque ulla hæſitatione, in prohibitorum cenſum eâdem tranſcripſi operâ, quemadmodum mihi luculentus Levitici

textus, instar spicæ Virginis, suis præluxit radiis. Argumenta, quæ mihi in hoc rerum genere militant, solidè refutata nondum vidi, nec refutabilia hactenus credidi. Interim non nescio, superiore seculo, Judæum quendam Thalmudicè doctum, istud est, rudem sociennum, ac cœcum Ductorem, aliquid singulare, & à publico tramite devium heic quæsivisse, & actutum adoptasse in suum, sicuti gens illa recutita ad quosvis novitatum ventos sua habet expansa vela; idque eo tempore fecit, quo sinistris auspiciis à Sirio accensus, in defunctæ uxoris sororem impiè exarsit, quàm illicò domum ducere, idque rem ex asse licitam esse, ex Levitico, juxta regulas Logicæ Thalmudicæ, cum Vulcano claudicantis, Rabbinicè probare adgressus est, nimirum ejusmodi argumentis, quæ instar ceræ ad ignem desubitò liquescebant, quando siticulosus hic Disputator, scabrâ suâ disputacitate, ne quidem per violentarum consequentiarum fidiculas satis ridiculas, quod anxiè obtinere, in calidissimis habebat votis, extorquere potuit. Cæterùm ova ista subventanea, in Cuculi hujus Judaici nido ac sinu concepta, ac fota, tandem stimulante singularitatis pruritu, Lojoliticæ gentis Rabbini nonnulli primorum principes, qui plerumque sunt ingenii novaturientis, & quibus nihil magis displicere insuevit, quam regia, tuta, ac trita via, inter quos, quoad hoc thema, Bellarminus familiam ducit, inauspicatò excludere non erubuerunt, imò Theologos orthodoxos, matrimonio cum defunctæ uxoris sorore masculè contradicentes, nigro dudum notârunt theta. Idque fecerunt suo more, quem Italus ille, sub nomine Lucii Cornelii Europæi, contra Jesuitas, de Monarchia Solipsorum, ingeniosissimè ac satis festivè nobis ostendit. Nimirum, quod in Collegiis

giis Lojoliticis ampla ſentiendi niduletur poteſtas, tam in Theologicis quam in Philoſophicis, & quod Quinquercio is habeatur, qui ſepulto reſpectu veri, tamtum annuente Lucinâ aliquid parturiat novi, ex quo ſcientiarum præceptiones enaſcantur, quæ à recentiſſimis ac nuperis Magiſtris vix intelliguntur. Ita ille. Ut ingenuè dicam quod ſentio, maximè indolui, haſce primulas veris, inter infelices glebas Judaicas ac Lojoliticas ſuccreſcentes, à JCto celeberrimo Dn. D. BUCHOLZIO in ſuos hortos tantâ curâ transplantari, inibi foveri, ac laboriosè rigari, id quod *Reſponſum Juris*, & non ita pridem *Adſertio Reſponſi Juris*, quam in celeberrimum JCtum, Dn. D. JOHAN. OTTONEM TABOR, & Gamologiam meam emiſit, abundè teſtantur. Quæ ſcripta publica, quod omnino miror, in τῶ μακαρίω D. CHEMNITII, D. JOHANNIS GERHARDI, D. PAULI TARNOVII, Theologorum ad miraculum ſublimium ac Judicioſiſſimorum eruditiſſimas lucubrationes, nimis durè deronuerunt, qui Viri de Eccleſia optumè meriti, mitius ac mollius à JCto illo, qui orthodoxus cenſeri geſtit, tractari merebantur, comprimis in quæſtione ejusmodi, quæ non niſi ex ſolo Levitico, ex ſola Scriptura ſacra ſuam præſtolatur definitivam. Equidem, ſcandalum peperit ſatis prominulum non tantum acris illa defenſio matrimonii cum defunctæ uxoris ſorore initi, cui nunquam ſuum addet calculum, qui magis curat literam Dominicalem, quam aureum numerum, ſed & illa tam audax ſugillatio, quæ optimam famam tantorum Theologorum, ſinè fundamento depeculatur, ſimulque delicias facit Jeſuitis, Photinianis, cæterisque Eccleſiæ hoſtibus, domeſticos noſtros jam allegantibus, qui in Theologos ſuos orthodoxos tam liberè ſparſerunt ama-

 torem

rorem & absinthium, quique in hoc themate, Papismi defensi & interpolati laudem, & ex mustaceo laureolam captare videntur. Apostolum, quem Cœli rota tertia vidit, accuratè quæsivisse memini I. Corinth. c. XII. vers. 29. Num omnes Apostoli? Num omnes Prophetæ? Num omnes Doctores? Et vers. 30. Num omnes lingvis loquuntur? Num omnes interpretantur? Apostolus negat ista omnia, negatio enim in quæstione occultata deprehenditur. At nostro hoc seculo sequiori, cum advesperascit, & pessima confusio ultimum nunc Mundi pyrismum præcedere videtur, omnes omninò sunt Apostoli! Omnes sunt Prophetæ! Omnes sunt Doctores! Omnes lingvis loquuntur! Omnes interpretantur! Idem Apostolus, I. Corinth. cap. XIV. vers. 40. præcipit, ut omnia (εὐσχημόνως) decenter, & secundum ordinem fiant. Pono, Theologos de Jure Protomisios, de Emphyteusi & consimilibus differere; JCtos Mosen & Prophetas interpretari: Illos respondere ex Jure humano, hos respondere ex Jure divino, lubens fateor, me in tali processu neu decorum, neu ordinem reperire posse, nisi forsan Lucii Cornelii statuta Monarchiæ Solipsorum mihi ignota, luxata illa, impieque confusa statuminent. Ego equidem ab acerbis contentionibus abesse animitus cupio, modestas autem Disputationes, pro elicienda ac defendenda divina veritate, quarum specimen ipsa scriptura sacra nobis exhibet, nunquam subterfugio. Hinc post funestum incendium antiquissimæ nostræ STADÆ, quo domus mea cum plurima supellectile, & libris quibusdam rarioribus, in cineres fuit redacta, mente minus serena percurrebam, quæ in Adsertione Responsi Juris, mihi à Dn. D. BUCHOLZIO fuerunt opposita, & sæpè satis aculeatè contra

me

me diſputata. Ut autem candorem meum omnibus lectu-
ris oſtenderem, nec quisquam mortalium poſtea Jure op-
ponere poſſet, me, vel alienum ſenſum affingere autori, vel
aliquid in ſcripto illius mutare, addere, aut præterire, quip-
pe, quod refutatu mihi forſan fuerit difficile, ſtatim ipſa ver-
ba Adſertionis, bonâ fide præmitto, quibus conſideratio-
nem meam ſubjungo, & κατὰ πόδας ad ſingula, quæ alicujus
ſunt momenti, ſolidè & perſpicuè reſpondeo, ſimulque no-
xios quosdam ſcopulos in illo ſcripto oſtendo. Cæterùm,
viris eruditis, & extra partes, Judicium liberrimum permit-
to, præjudiciis autem abreptos, fruſtra ſim ſi appellem, ar-
bitrosque conſtituam.

Hoc quicquid eſt, Illuſtris ac Generoſe Domine, Pa-
trone magne, celeberrimo nomini tuo inſcribere volui, cu-
jus fama anguſtioribus ſivè Sveciæ, ſivè Germaniæ limitibus
non potuit coherceri, ſed ad cæteras quoque Orbis Chriſtia-
ni gentes politiores dudum emanavit. Nemo enim eſt in-
ter illos, qui intra umbras Socraticas feliciter ſunt enutriti in
viridioribus annis, qui neſcire queat Illuſt.is V.æ Generoſ.tis
nobile ingenium, maturum Judiciũ, ſingularem eruditio-
nem, terſum ac lacteum ſtylum, ſummam in agendo dexte-
ritatem, in arduis & perplexis promptum conſilium, in de-
liberando ſolertiam, in publicam pacem ac tranquillitatem,
calidiſſimam propenſionem, gravitatem ſinè ſupercilio, mi-
ram affabilitatem ac humanitatem. Quibus dudum acceſ-
ſit inſignis favor erga lucubrationes meas, quas Illuſtris Ve-
ſtra Generoſitas, tanti fecit, quanti ego nunquam, id quod
ex aliis non tantum reſcivi, verum etiam ex elegantiſſimis ac
humanisſimis veſtris literis, Francofurto ad me perſcriptis
abun-

abundè cognovi. Suscipe igitur Domine Illustris ac Generose, serena fronte pagellas hasce meas,&,si placet, pronum in me adfectum sine lapidem esse ἄσβεστον. Ego non desinam Deum meum venerari, ut Illustrem Vestram Generositatem, in gratiam publici boni,mihi omnibusque bonis diu florentem adferat, sospitet, statuminet. Dabam è Muséo meo. STADÆ, die XXVIII. Octobris, Anni cIↄ Iↄc LIX.

Quo vetus in cineres Stada redacta fuit.

Illustris Vestræ Generositatis

humilimus Cultor

Michaël Haveman.

AD-



ADSERTIONIS Responsi Mosis,

Contra Matrimonium, cum defunctæ uxoris sororē

CAPUT I.

Quod scripti hujus occasionem & argumenta mea, contra istud Matrimonium nervosè proponit.



Quartus, nunc vestitur annus, ex quo Gamologia mea Synoptica, de jure Connubiorum, in hoc rerum genere magis prominula complectens, & tàm varia, tàm diffusa, ac sæpe confusa, nervosè ac methodicè sub oculi ictum ponens, dias prodiit in luminis auras. In quo Tractatu Lib. 2. tit. 5. pag. 400. adseritur: In jure divino prohiberi uxoris sororem Lev. C. XVIII. v. 18. Niemand solle seiner Ehefrauen leibliche Schwester heyrathen. Nimirum hujus indolis est hoc thema, quod non nudius tertius natum, nec in uno atque altero angulo Socratico educatum, sed quod publicè receptum hactenus stetit inconcussum, omniumque Theologorum, qui hâc tempestate in universæ Germaniæ orthodoxis Universitatibus docent, & Jctorum celeberrimorum, imò juris Civilis, juris Canonici, juris municipalis, & constitutionum Ecclesiasticarum, quæ de matrimonio simul disponunt, ut vetustissima concilia sciens ac lubens prætercam, dudum publicâ approbatione fuit corroboratum, ut sic contraria adsertio tàm Ecclesiam ipsam, quàm jura omnia perturbare haud temere dicatur.

Placuit tamen viro Consultissimo Dn. Christophoro Joachimo Buchholtz Jcto, Consiliario Hassiaco, & in Academia Rinteliensi jurium Professori, hanc contrariam sententiam repetere, & acriter defendere in sua adsertione Responsi juris, pro matrimonio cum defunctæ uxoris sorore Rintelii publicis typis exscripta, & argumentis armamentarii Justiniani, Dn. D. Johannis Ottonis Tabor Jcti celeberrimi, ac Gamologiæ meæ, ut habet inscriptio, opposita. Quatuor priora capita oppugnando armamentario Jcti Taboris sunt destinata; at quintum caput se seorsim accingit ad oppugnanda Gamologiæ meæ argumenta, quibus matrimonium cum uxoris sorore paucis pessum dedi. Ita enim lego in titulo allegati capitis, *Examen argumentorum Dn. Havemanni contra hoc matrimonium.* At verò, hæc mea argumenta non tàm operosè in citato Gamologiæ loco sunt proposita. Nam eo tempore, quo huic libro ferè coronidem imposueram, plane nesciebam in ulla germaniæ Academia celebriori hodiernè doceri, licitum esse defunctæ uxoris sororem ducere, quod superiori seculo insulsus quidam Judæus Hildesiensis disseminavit, cui D. Hoffmannus illicò accessit, & pauci alii, quibus se Theologi eruditi masculè opposuerunt, & hunc unius noctis fungum radicitùs sustulerunt. Quamobrem me paucis expediebam, ac textus Levit. C. XVIII. v. 18. expositionem ex mente Tremellii considerabam, eundemque textum Authenticum philologicè interpretabar, ac de variis variorum opinionibus circa hoc thema differebam à pagina 400, ad pag. 410. ubi exsertis verbis dico, tum demum ad me pervenisse Responsum juris pro matrimonio cum defunctæ uxoris sorore, quando Gamologia mea sub prelo calebat meque celeri oculo tantùm percurrisse aliquot hujus Responsi folia. Notari hoc peto contra Domini opponentis crebriusculam objectionem, quando aliquoties mihi opponit, quòd multa in illo consilio, sicco pede præterierim. Nam animus erat, tantum in argumentorum quorundam principalium robur incidenter & modestè inquirere, non autem totum consilium perreptare, examinare, & hanc quæstionem ex professo tractare. Vix istud precium operæ videbatur, nec mihi tantum ab re meâ tunc erat otii. Quamobrem sex Gamologiæ folia, totum hunc capiunt de hoc matrimonio discursum. Et in fine pag.

422. addo, *Ad cætera quæ in Responso illo sequuntur, me non demitto.* Et post pauca. *Eo usq; se non extendit intentionis meæ meta.*

Quia autem primò intuitu observavi, Dn. opponentem, in sua Adsertione mihi oppositâ, seriem & ordinem meum in Gamologia observatum, absque rupturâ non retinere, quando incipit ab iis, quæ dixi de argumentatione à contrario sensu, nimirum, quod illa constrato pedi hoc loco non insistat: quæ interruptio ex utriusque scripti collatione cuivis illico patebit. Itaque maximè in rem esse reor, argumenta mea ordine proponere, & quia mihi alienæ ac miræ sequelæ passim, sed malè imputantur in assertione illa, Syllogismis placuit singula illigare, ut contrarium cuivis, qui logicam didicit, & judicio pollet, nullo negotio suboleat, & fuco ac diverticulis statim præscindatur aditus & occasio; imò, ut benevolo lectori omnia sint obvia, plana, ac perspicua, cui censendi, sentiendi, approbandi ac improbandi, liberrimam permitto facultatem. Mihi enim hoc unicè propositum est, dubias, citóque intermorituras semitas cautè declinare, & in viâ regiâ euntem divinam veritatem comitari, quam viam, concilia, Jura, constitutiones sacras, Theologos, ac Jctos primorum principes, feliciter ante me trivisse video. Jam ad argumenta mea, Vialibus annuentibus.

ARGUMENTUM I.

PRimum meum argumentnm, cujus mentio fit in Gamologia fruticatur ex Levit. C. XVIII. v. 16. Gamol. pag. 404. *Et non revelabis nuditatem uxoris fratris; nuditas fratris tui ipsa.* Mulier igitur successivè nubens duobus fratribus, impingit in gradum primum lineæ collateralis æqualis, qui in allegatis verbis planè est prohibitus. Sed & vir, qui successivè ducit duas sorores, impingit in eundem gradum prohibitum. Quis ergò concederet duas ab uno duci sorores, quod Deus eâdem operâ hic prohibuit, quando mulieri interdixit duobus successivè nubere fratribus? Nam ubi eadem ratio, eademque propinquitas est, ibi idem jus, sibi locum vendicare, certius est ipsâ certitudine.

Jam colligo Syllogisticè.

Quicunque impingit in primum gradum lineæ Collateralis æqualis, à Deo expresse prohibitum, is peccat.

Atqui, ducens duas ſucceſſivè ſorores, impingit in primum gradum lineæ collateralis æqualis, à Deo Levit. C. XVIII. v. 16. prohibitum. Ergo.

Hoc argumentum ab inſtantiis moleſtantibus infrà vindicabo, ſi quas fortaſſean contra gradus in arenam deſcenſuras videro, quas ab aliis clariſſimis tàm Theologis quàm Jctis dudum proſtratas eſſe, ſatis memini.

ARGUMENTUM II.

SEcundum argumentum, quod familiam ducit, propono Gamol. pag 406. Verba ſic concepi. Luculenta eſt prohibitio: *Sororem uxoris tuæ non accipies* Levit CXVIII. v. 18. Pauló poſt pag. 413, 414. dico. *verſiculus decimus octavus jam jam allegatus, parit enunciationem univerſaliter negantem*, Et mulierem ad uxorem ejus (לא תקח Lo thikkach) omnino non accipies. Antequam Syllogiſticè concludam, pauló fuſius interpretabor mentem meam. Certum eſt ex Grammaticis poſituras, puncta, ſive interpunctiones, ut Cicero vocat, eſſe quaſdam quaſi vias ſenſuum, & lumina dictionum, quæ ſic lectores dociles faciunt, tanquam ſi clariſſimis expoſitoribus imbuantur, quod à Philologis utiliſſimè citari ſolet è Diomede. Et ipſa experientia teſtatur, in omnibus omnium gentium linguis hoc eſſe veriſſimum. Tolle ſis interpunctiones, comma, ſemicolon, colon; & actutum ſub ancipiti hærebit oratio: imò, mutatâ ſolâ interpunctione, ſæpe ita mutatur orationis ſenſus, ut nullâ voce mutatâ, nihilominus contradictorias inde liceat elicere. Sexcenta id docent exempla. Pauca è multis hæc ſunto.

Regem occidere nolite timere vos decet quod ſi conſenſeritis ego non diſſentio. Indiſtinctam hanc locutionem qui ita diſtinguit. Regem occidere, nolite timere, vos decet: quod ſi conſenſeritis: ego non diſſentio. Profectò, is ſe alligat Regicidii. Qui autem eandem orationem ita diſtinxerit. Regem occidere nolite, timere vos decet: Quod ſi conſenſeritis, ego non; Diſſentio. Hæc interpunctio diſtinguentem abſolvit, & ſenſum parit planè contrarium. Sic: Porta pate miſero nulli claudaris honeſto. Diſtingue iſta, Porta pate miſero, nulli claudaris honeſto. Jam patebit porta omnibus bonis. Sed ſi ita diſtinguere allubeſcit: Porta pate miſero nulli, clauda-

claudaris honesto. En, unicum comma loco suo motum, sensum jam gignit contrarium, & sic nulli amplius porta patebit. Dabo quoque exemplum in lingua Heberina, quæ suos habet Reges, accentus distinctivos, & nobiles pausas, qui ad genuinum sensum alicujus textus probè eliciendum, non nunquam soli sufficiunt. Quod D. Helvicus, Bolius, & celeberrimus Dn. D. Varenius, amicus meus singularis, in eruditissimis suis in non nullos V. T. libros editis commentariis, abundè, & cum applausu in illustri Varnianâ dudum ostendit. Exemplum meum depromo ex Gen. C. XLIX, v. 9. verba sic habent,

לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד
כי יבא שילה

Desipientes quidam Judæi, comminiscuntur ex suo cerebro talem interpunctionem, quæ spurium hunc enititur sensum. Non auferetur sceptrum de Jehuda, nec legislator de medio pedum ejus in æternum: Quia veniet Siloh, sive Messias. Hoc sensu posito, nullum hic reperies signum venturi Messiæ. Et sic satis tempestivè judæis is venire videbitur, quamvis sextiduum venerit ante ultimum Mundi pyrismum. Sed hunc sensum tenebricosum hi tenebriones textui inferunt, quando unicum accentum distinctivum, ex suo loco genuino, ad vocem sequentem protrahere conantur. Sed Theologi ac Philologi Anatolici rident has nænias recutitæ plebeculæ, easque remittunt ad notabilem pausam, sive accentum distinguentem Athnach, qui in textu adscriptus est voci רגליו Raglar, pedum ejus, & non voci sequenti עד Ad: quemadmodum hi judæi interpungere volebant. Hinc statim elucescit genuinus sensus. Non auferetur sceptrum de Jehuda, & Legislator de medio pedum ejus, donec venerit Siloh. Libemus nunc textum nostrum controversum, nimirum Levit. C. XVIII, v. 18. qui in originali lingua Hebræa sic legitur

ואשה אל אחותה לא תקח: לצרור לגלות
ערותה עליה בחייה:

Veischah & achotah lo thikkach: lizror, legalloth ervathah aleha bechajehah. Interpuctio talis est. Præcedit hic Minister Merca

 suum

ſuum Tiphcha, idque ſub vocula Lo, non. Sequitur ſtatim Munach, precedens ſuo more pauſam Athnach, quę adſcripta eſt voci Thikkach aſſumito, & orationem ibi, tanquam notabile colon ſufflaminat, id quod ſœpe facit in allegato capite v. 2. 3. 4. 5. 6. &c. Imò ipſam prohibitionem luculentè diſtinguit, à ratione ſive cauſa, quæ ſequitur, ob quam prohibitio facta eſt, uti videre licet, v. 7. 8. 10. &c. quemadmodum etiam in noſtro v. 18. Prohibitionem in vocibus, Lo tikkach, non accipies, ſtatim ſiſtit, & à ſequente ratione exaggerante diſtinguit. In alterâ verſiculi hujus parte conſpicitur Reſia, ſive comma; idque in voce Lizror, anguſtiâ affecturus. Poſtea ordine ſe excipiunt Darga, Merca, & Tiphcha, continuantes orationem ad finem verſiculi. Stat igitur textus in ſua interpunctione Biblica ad hanc faciem; Et mulierem ad uxorem ejus non aſſumito; Pauſa! Athnach! Anguſtiâ affecturus, retegendo nuditatem ejus ſuper eam in vitâ ejus. Jam quæritur, an hæc prohibitio, usque ad pauſam ſe extendens, ſuppeditet enunciationem, purè, & univerſaliter negantem. An verò enunciationem limitatam, reſtrictivam, diſpoſitivam, in certo caſu excipientem, affirmantem, & concedentem? Ego prius aſſero. Quia diſtinctio talis eſt. Et mulierem ad ſororem ejus non aſſumito: Hic inciſa quieſcit oratio, per pauſam celeberrimam Athnach, quæ enunciatio his æquipollet enunciationibus.

Nemo ſororis uxorem ducat.
Nulla ſoror ſororio nubat.

Qui autem enunciationem reſtrictivuam & tantum in certo caſu prohibentem, donec uxor vixerit, quam diu illa affligi poterit, ex citato hoc verſiculo elicere tentat, illi neceſſario incumbet oſtendere, pauſam diſtinguentem Athnach, adſcriptam eſſe voci ſequenti Lizror, ad Laceſſendum, vel anguſtiâ afficiendum. Hoc modo

Et mulierem ad ſororem ejus non aſſumito ad Laceſſendum; Pauſa;

Ita forſan alicui naſci videretur oratio reſtrictiva, & tantum in certo caſu laceſſendi, viventem irritandi, prohibens & negativa: ſed extra hunc caſum concedens, & plenè permiſſiva. At verò talis diſtinctio in nullis Bibliis hebræis eſt reperta. Oculi legentis hic erunt judices, nec aſſertio mihi oppoſita, contrarium oſtendet

ullo

ullo in seculo: Hoc igitur tam firmiter posito fundamento, quis non videt, quantâ intercapedine â se invicem distent hæ propositiones:

Nemo ducet uxoris suæ sororem;

Nemo ducet & uxoris suæ sororem ad lacessendum.

Prior est Biblica & Mosaica, posterior ex confusione distinctionis Biblicæ, vel accentus distinctivi, sinistris auspiciis est genita, eòque sensu, quo abtrudi nobis vult, falsissima. Sic etiam illa enunciatio, quæ sequitur.

Nemo ducet uxoris suæ sororem, in vita ejus

Magis est monstrosa, propter Metathesin, & audacem transpositionem verborum, quâ ultimæ versiculi voces, *in vita ejus*, retrahuntur in in versiculi medioxumum locum: Profectò sic lemures forsan tumultuantur in sacris Bibliis. Quod si hoc licitum erit in scriptis authorum, quidni ex loco quovis quidvis colligeretur, quod Autori scribenti ne quidem per febrim unquam in mentem venisset. Si quis jam quæsiverit, quid ergo verba sequentia, an non frustrâ ponuntur, si non sunt restrictiva? Respondeo, verba non sunt frustra posita, interim non statim sunt limitativa, sed sunt verba exaggerantia, quod dudum ante me adseruit Dn. D. Gerhardus Tom VII. Loc. Theol. Et rectè quidem. Totam seriem vel hohærentiam textus ita ostendo. Nullo modo uxoris sororem duces. Pausa! Angustiâ affecturus es eam, hic est Resia sive comma. Idque in hoc casu, *Si retexeris turpitudinem ejus*, scilicet superinductæ sororis, *in vita ejus*, scilicet uxoris tuæ. Poterat enim opponi, cur duæ sorores in uno thalamo prohibentur, quæ tamen Patriarchæ Jacobo concessæ leguntur? Ideò præter causam, sive rationem primariam, vel vicies in præcedentibus versiculis specialiter, & in Levit. C. XVIII, v. 6. generaliter inculcatam. *Nequis accedat ad proximam carnis*; additur hîc quoque causa, sive ratio secundaria, exaggerans malum domesticum, nimirum perpetuas lites & jurgia, ex hoc matrimonio, in illo casu, scilicet, si soror, vivente alterâ sorore, ducitur, magno cum damno & cordolio certò certiùs oritura, quod Patriarcha Jacobus satis est expertus. Si quis opponere perrexerit. In textu legi. Et mulierem ad sororem ejus non adsumito. Hoc tantum restringi ad unicum

illum

illum casum, quo duæ sorores simul sunt unius Mariti uxores. Nego! Sic enim habet Prohibitio.

Et mulierem ad sororem ejus non adsumito. Sed mulier illa, de quâ textus loquitur, est soror uxoris, ergo sororem ad sororem nemo assumet. Planè hoc non fiet! Purè prohibitum est! Sed qui accipit uxoris sororem, uxore sive vivente seve mortuâ, is in utroque casu assumit sororem ad sororem. Priorem enim habuit, alteram posteà domum ducit, quod impium est, & in hoc textu simpliciter damnatum. Cœterum, assertio mihi opposita semper hic urget Gerundium in dum, quemadmodum loquuntur Grammatici. Non accipies ad lacessendum, ad affligendum. Quasi hebræum לצרור Litzror necessariò sic verti oporteat. Sed hoc fallit. Rectè Tremellius, Angustiâ affecturus es, tu eris affligens, retegendo turpitudinem superinductæ. Sic litera Lamed ipsi makor seu infinitivo præfixa, sæpe exponitur per participium, ut videre est Josuæ C. XXII, v. 5. 2 Sam. C. XVIII. v. 3. & aliis locis quod sciunt omnes, qui linguam hebræam probè didicerunt.

Colligo Syllogisticè.

Quicunque Sororio uxoris suæ Sororem universaliter & simpliciter prohibet, is nullo modo à Sororio eam duci concedit.

Atqui, Deus Levit. C. XVIII, v. 18. & v. 6. & 16. Sororio, uxoris sororem universaliter & simpliciter prohibet

Ergo. Deus Lev. C. XVIII. v. 6. v. 16. v. 18. uxoris sororem nullo modo à sororio duci concedit. Major est certa. Minorem ex ipso textu, ejusque distinctione Biblicâ ad oculum ostendi, quæ etiam à cœteris argumentis ex Levit. C. XVIII. v. 6. v. 16. suum non ex semisse accipit robur. Et hoc volebam, quando Gamol. pag. 413. 414. dicebam. Versiculum decimum octavum Levit. cap. XVIII. parere enunciationem universaliter negantem. Dn. Opponens in his se exercebit, periculum facturus, an hic textus biblicus, turbatâ nativâ distinctione, contemptâ celeberrimorum Theologorum orthodoxâ ac piâ expositione, unius atque alterius novæ ac periculosæ se se subdere velit interpunctioni, & interpretationi. Ego omninò credo, eximios Jctos tutius peregrinari in corpore juris, quàm in bibliis, idque eò certius credo, quo plura & quidem magni momenti ad mini-

adminicula, sacro interpreti maximè necessaria esse non nescio, quæ propemodum nunquam ambiunt illi, qui altis jurium triremibus aliquando præesse satagunt.

ARGUMENTUM III.

Fusiùs exposui argumentum secundum, in quo cardinem totius disputationis verti video, ut postea absque remorâ progredi possim, & ad singula mihi objecta candidè & apertè respondere, sine cerussâ & melino. Nunc ad cœtera argumenta pregrediar in quibus non ero Asiaticus, sed Atticus. Tertium igitur argumentum attigi in Gamologi. pag 407. idque ad hanc faciem.

Si in toto decimo octavo Levitici capite tantum prohibitiones reperiuntur, malè ex illo elicitur concessio, & quidem tàm grandis, quâ uxoris soror in certo casu duci queat à sororio.

Atqui verum est prius; Ergo & posterius. Major suâ lucè radiat. Caput enim Levit. XVIII. quod semper prohibet, in quantum prohibet, nihil fieri jubet. Minor judicio oculorum se quàm libentissimè committit, & præterea robur ex versiculo citati capitis sexto accipit satis robustum. Nam citatus hic versiculus, in aciem reponit legem universaliter prohibentem. Nullus omninò homo ad proximum vel proximam carnis suæ accedat. Sub hâc lege prohibente generali, comprehenduntur omnes leges speciales sequentes, quæ sanè omnes sunt prohibentes, nisi quis asserere velit, in universali negante delitescere particularem aliquam affirmantem, in prohibitione concessionem, in glacie ignem, quod absurdùm est. Quamobrem sic colligo

Proxima carnis, sive nimis propinqua, non debet duci in uxorem. Levit. c. XVIII. v. 6.

Atqui, soror uxoris defunctæ sororio suo est proxima carnis sive, nimis ei propinqua. Gen. c. II. v. 24. Gen. c. XXXVII. v. 27. Ergo!

Major, quemadmodum annotavi, est ipse versiculus sextus, Levit. c. XVIII. & severè prohibet, ne quis accedat, ut (כל שאר בשרו) ad ullas reliquias carnis suæ, ut vertit B. Arias Montanus, vel ad carnem carnis, quemadmodum in textu hebræo legitur. Minor patet ex v. 16. ejusdem capitis. Ubi prohibetur fratria, idque ideo,

 sicut

ſicut verba leguntur, quia eſt nuditas fratris tui, id eſt, affinitate tibi nimis eſt propinqua, nimirum in primo æqualis lineæ gradu. Ergo eam non duces. Sic uxoris ſoror, ipſi ſororio eſt prohibita, in eodem verſiculo 16. per neceſſariam conſequentiam; quia etiam nimis ei eſt propinqua, ſcilicet in eodem gradu primo; in eodem affinitatis genere, & ſic in eadem propinquitate. Ergo eam non ducet. Addo Gen. cap. II. v. 24. Et erunt duò in carnem unam. Et Gen. c. 37. v. 27. ubi frater de fratre Joſepho dicit: Joſephus eſt frater noſter, caro noſtra, & ſanguis. Pari etiam lege ſoror eſt ſororis caro & ſanguis. De quo infrà plenius. His addo, Vau copularivum, quod in textu noſtro, ſive Levit. c. XVIII. v. 18. emphaticè oppugnat conceſſionem & confirmat prohibitionem. Sic enim incipit ille verſiculus 18. de quo diſputamus. Veiſcha (ואִשָּׁה) & mulierem. Tremellius & Junius, excellentiſſimi Hebræi, rectè vertunt per item. Hæc vox item, ſive hoc Vau copulativum (connectuntur in hoc capite verſiculi 17. 18. 19. 20. 21. quod in præcedentibus non reperies) connectit versum 17 & 18. verſiculus 17. prohibet, ne vitricus filiam ducat, nec uxoris ſuæ neptem. Sequitur v. 18 cum ſuo Vau capulativo, cum notabili ſuo item, quod iterum prohibet. Item, nemo ducet uxoris ſuæ ſororem. Pauſa! Sequitur v 19. novum item, iterum prohibens: Nemo accedet ad mulierem in ſeparatione immunditiei ſuæ. Adhuc ſequitur aliud prohibens item, verſu 20. Nemo concumbet cum uxore proximi ſui. &: Nullum Jota, nullus (Κεραία) apex fruſtrà ponitur à Spiritu ſancto Matt. capite 5. v. 18. Sic etiam hoc loco non fruſtrà apponitur Vau capulativum hisce verſiculis, ſed ideò ponitur, ut pura puta prohibitio eò clariùs oſtendatur. Mercatores norunt, quod vox Item in catalogo acceptorum ſemper notet accepta, in catalogo expenſorũ expenſa. Sic in prohibitis notat prohibita, in conceſſis conceſſa. Quia autem in omnibus verſiculis iſtis 17. 19. 20. 21. prohibita reperiuntur, ut vox Item in fronte ſingulorum ſit prohibitionis index, detur ratio, cui in verſ. 18. qui voce Item, cum cœteris connectitur, ejusdem prohibitionis index cenſeri non debeat? Hanc nôſſe cupio.

ARGUMENTUM IV.

HOc argumentum attigi in Gamolog. pag 421. quod ità formari poteſt ſyllogiſticè.

Quicquid

Quicquid scriptura planè præterit, ita ut nec verbis, nec evidente ac necessariâ consequentiâ istud doceat, id non temerè debet affirmari & defendi.

Atqui licentiam ducendi uxoris defunctæ sororem, scriptura planè præterit, ita, ut, nec verbis, nec evidente & necessariâ consequentiâ istud doceat. Ergo! Major est immota: Minor est verissima. Verba enim in Bibliis non reperiuntur, quæ tale quid jubeant. Consequentia evidens & necessaria (hæc enim Theologi rectè conjungunt, ne spurias Pontificiorum, Photinianorum, Anabaptistarum &c. & quaslibet ex ere&iis conceptas sequelas intelligere videamur) nondum est in scenam à quoquam producta, nec unquam producetur. Stat ergò conclusio, tanquam murus semiramidis, inconcussa, contra aridas conjecturas, & chassilionis phthisicam Διάνοιαν.

ARGUMENTUM V.

ARgumentum quintum tetigi paucis in Gamologia p. 422. Provoco ibidem ad Levit. c. XVIII. v. 14. nuditatem patrui tui ne retegito: ad uxorem ejus ne appropinquato: amita tua est; Nimis tibi propinqua est. Hîc prohibetur secundus gradus lineæ inæqualis. Ergo, qui non potest ducere patrui sui uxorem, is non potest ducere defunctæ suæ uxoris, sororis filiam. Idem enim gradus, idem casus est utriusque, qui hic prohibetur. Ergo, qui filiam uxoris defunctæ sororis ducere non potest, is multò minùs ipsam matrem hujus filiæ ducere potest, nimirum, defunctæ uxoris sororem. Quando enim remotior gradus est prohibitus, tunc multò magis gradus propinquior prohibitus est, propter arctiorem propinquitatem.

Syllogisticè ità.

Quicunque prohibuit gradum remotiorem, is magis prohibuit gradum propinquiorem.

Aqui Deus prohibuit Lev. c. 18. v. 14. gradum remotiorem scilicet secundum lineæ inæqualis.

Ergo magis prohibuit propinquiorem, scilicet primum lineæ æqualis.

Quod idem est, ac si dicerem, Deus prohibuit duci filiam sororis, defunctæ uxoris.

Ergo magis duci prohibuit sororem ipsam illius uxoris demortuæ.

Hæc dicta sunto ad mihi oppositæ adsertionis caput quintum, membrum primum, & hanc ejus Epigraphen, *Examen argumentorum Dn. Havemanni contra hoc matrimonium.* Jam pergam ad examen ipsum, visurus an absque divergiis, ad iter se feliciter accingat, quibusve vialibus hoc iter conficiat. Hunc ordinem autem observabo. Primò verba scripti mihi opositi, sive adsertionis, viri consultissimi Dn. D. Bucholtzii plenè, & bonâ fide præmittam, & actutum considerationem meam pone sequi jubebo, idque characteribus diversis, ut oculorum ictui illico se subdant omnia.

CAPUT II.

Considerat caput quintum, membrum primum assertionis mihi oppositæ, quod argumenta mea examinare allaborat.

Adsertio.

HIc operis sui libro 2. tit. 5. sub n. 8. ponit regulam: Prohiberi ducere sororem uxoris. Hanc prohibitionem dicit esse luculentam; verba autem sequentia ad affligendam eam, & dum adhuc in vivis est, putat non firmare hoc argumentum: Ergo mortuâ uxore duces. Quia argumentum à sensu contrario deductum podagricis insistat pedibus, & absurda multa pariat, cum primis, quando illicitū quid prohibetur. Ponit exemplum: Si pater dixerit filio: Quamdiu vixero, mi fili, ne me adfligas, ideò cave tibi à furto & scortatione. Inde non posse argum: Ergo mortuo patre licere filio furari, scortari, sed ita argumentantem irrisui fore pueris. Rationem addit. Ex eo enim, quod scriptum est, non temerè colligendum, quod scriptum non est, præcipuè si id quod colligitur, ad absurda divertat, vel si ejus contrarium alibi ex legibꝰ ostendi possit, tanquam illicitum & interdictum. Verum quàm alienò & impertinentei ille sermocinetur, id facilè patet ex eo, quòd generalis, & illimitata ipsius regula, non potest duci soror uxoris, planè non sit luculenta, cum hæc prohibitio nullibi, nisi in hoc unico textu Mosis, at non generaliter, aut purè, sed sub expressâ restrictione & limitatione, donec uxor vixerit, sit proposita. Si quis itaq; textum calumniari non velit, certè non unam ejus particulam, sed totam seriem integrè recensere, & ex ea argumentum ducere debet. Quod autem evidenter sequatur; Prohibeor tantum expressè viventis uxoris sororem ducere: Ergo non prohibeor

bibcor expressè defunctæ uxoris sororem ducere. Id forte Philosophorum, qui rectè ratiocinari didicêre nemo hactenus negavit, cum uno contradicentium & contrariorum posito, alterum remotum censeatur, uti hoc in responso nostro firmis rationibus stabilitum adversarius sicco pede prætergressu est. Satis quidem à nobis concessum est, hoc argumenti genus vacillare, ubi periculum est absurditatis & peccati: Sed hoc in præsente casu à nobis negatum, nulla ratione ex adverso probatum est, ideoq; sub petitione principii jacens hoc argumentum suo loco est relinquendum; exemplum patris filio furtum & scortationem, se vivente patrare prohibentis puerorum irrisui verò subjacet: Hæc enim & alia ejusmodi vitia, ipsum jus naturale, & recta ratio prohibet tàm defuncto quàm superstite parente committi; ideoq; in tali exemplo plane cessat argumentum à sensu contrario. At verò in nostro matrimonii casu nulla prohibitio seu generalis, seu specialis, seu positivi divini, seu naturalis juris existit, quin potius ante legem Mosis conditam duas simul sorores extra peccatum duci potuisse, ipse Antagonista fatebitur, si historiam Israelis, viri se & nobis procul dubio longè sanctioris, non vocaverit in dubium. Itaq; hoc adversarii argumentum à simili desumptum, propter enormem dissimilitudinem utroq; podagrico pede claudicat, uti deductum in casu alio Responsi nostri num. 359. Seqq. Ponat autem adversarius exemplum magis simile, & accommodum in patre filio suo immorigero aut scortatori dicente. Quam diu ego vixero, tu nihil accipies ex bonis meis: numquid ex eo inferri non potest, hunc filium non esse post mortem patris exclusum ab hæreditate paternâ.

Consideratio.

PRohiberi uxoris sororem. Hanc regulam pono, quia Moses eam posuit Levit. c. 18. v. 18. De argumento à contrariò sensu. Non duces uxoris tuæ sororem, dum affligi potest, dum in vivis est. Ergo tibi eam ducere licebit, quando uxor tua mortua est, & sic in hâc vitâ affligi amplius nequit. Rectè dixi, hanc argumentationem, hoc in loco podagricis insistere pedibus. Illud illustro hoc exemplo Micali, filiæ Saulis non est natus filius, dum in vivis fuit, 2. Sam. c. 7. v. 23. Ergo Micali filiæ Saulis natus est filius, quando in vivis esse desiit. Non peperit in vitâ, ergo peperit post mortem. Itane? Addo, hanc argumentationem eo magis nutare, quando id, quod ejus adminiculo colligitur, illicitum est. Et quando is, qui in rebus divinis

& Theologicis illud colligere audet, quod Deus nuspiam dixit, nec ex sacris literis per necessariam consequentiam, unquam erui potest. Quid contra hæc assertio? (I) dicit me alienè sermocinari. Generalem & illimitatam regulam, nemo ducet uxoris sororem, nullibi, nisi in unico textu Mosis, scilicet Levit. c. 18. v. 18. non generaliter & pure, sed sub expressâ limitatione, Donec uxor vixerit, esse propositam. At suprà ostendi contrarium ex ipso originali textu biblico, ex quo solo in dubiis firma producuntur argumenta. Quandoquidem præter res, ipsa etiam verba inspiravit Spiritus sanctus Esai. cap. LI. cap. LIX. 2. Pet. c. 1. Quod de versione nullâ dici potest. Nimirum ostendi è textu ad oculum, ibidem stabulari enuntiationem universaliter & purè negantem.

Et mulierem ad uxorem ejus non assumito. Pausa, Athnach! Nullo modo fiet! Simpliciter prohibetur! ut pater, mater v. 7. ut noverca v. 8. ut patruus v. 14. ut Nurus v. 15. & sic in cœteris.

Ergo Carthaginis altæ fundamenta cadunt; —— —— ruit alto à culmine Troja. Profectò, restrictiva illa, quam assertio urget, duces uxoris sororem, donec uxor vixerit, nulla est. Hoc enim verborum nexu, illud nuspiam extat in Mose. Audax illa est, dum verba transponit, dum notabilem pausam Athnach, & sic genuinam verborum distinctionem non annotat, sed omnia conglomerat & perturbat, quod suprà evici argumento II. quo remitto, quodque tunc solidè refutatum iri puto, quando

Cum canibus timidæ venient ad pocula damæ.

2. Pergit assertio. Qui textum calumniari nolit, non unam ejus particulam, sed totam seriem integrè recensere, & exeâ argumentum ducere debet. Verùm aliud est, totam orationis seriem recensere. Et rursus aliud est, totam orationem confusè recensere, omnemque interpunctionem sive distinctionem negligere. Qui indistinctè recenset, is textum perturbat, (nescio an calumnietur) qui autem rectè distinguit, is genuinam seriem, sensum ac mentem textûs retinet; qui non distinguit textum, is è textu forsan lepidè ac tepidè ar-argumentari potest, firmiter ex illo argumentari non potest. Totam seriem orationis hujus integrè recenseo, quam non nemo sic chartæ propria illevisse dicitur manu:

Regem occidere nolite timere vos decet quod si consenseritis ego non dissentio.

Elliciat mihi quispiam ex hâc totâ serie unicum argumentum, quo solidè probet, consensisse itâ scribentem in necem Regis. Vel ostendat mihi argumentum, quo probetur non consensisse in necem Regis. Ex totâ hâc serie præsto labor hujus indolis argumentum, quod Ego ex tali oratione exprimere nondum didici. Davus heic sum, non œdipus. (3.) Porrò opponitur. Evidenter sequi; prohibeor tantum expresse, viventis uxoris sororem ducere. Ergo non prohibeor expresse defunctæ sororis uxorem ducere. Nullum Philosophum hoc negâsse, cum unò contradicentium & contrariorum posito, alterum remotum censeatur; & hoc in responso juris firmis rationibus stabilitum esse, quod adversarius sicco pede prætergressus est. Quarè autem nonnulla præterierim in responso Juridico, id jam antè dixi apertè, in Gamologiâ pag. 410. Calebat liber hîc meus sub prælo, & seriùs ad me perveniebat istud responsum juris, cujus aliquot folia tantum libare volebam celeri oculo, principaliora attingere, ad cœtera autem me non demittere animus erat, eo se non extendebat intentionis meæ meta Gamol. pag. 422. Non ergo præterii aliquid, ut fucum facerem, vel, quod irrefutabile quid reperirem. Absit! Jam ad rem, ut nihil prætercream. Prohibeor tantum ex presse viventis uxoris sororem ducere, inquit Adsertio. Sed hoc est, quod nego, talis enunciatio non extat in toto Mose, sed ex præconceptâ opinione, ex neglectâ luculenta ac textuali distinctione, ex audaci verborum translocatione, & saltu nata est hæc adsertio, quod suprà ostendi. Sed pono extare illam, tunc gigneret enuntiationem particularem, huic æquipollentem. Quidam sororius non ducet uxoris suæ sororem. Nimirum ille, cujus uxor vivit. Huic autem non nisi subcontrariè juxta decreta logicorum opponitur hæc, Quidam sororius ducet uxoris sororem; scilicet, cujus uxor vivere desiit. Hæ enuntiationes nec contradictoriè, nec contrariè opponuntur, quod Logici nôrunt. Quidam sororius non ducet sororem. Ergò, quidam sororius ducet sororem. Hæc argumentatio enititur conclusionem, quæ in totâ scripturâ non extat, neu κατὰ ῥῆμα, neu κατὰ πρᾶγμα. Quæritur tantum, an in sacris ex

co-

eo, quod Deus dixit, recte colligatur, quod Deus nunquam dixit, sed ubi per manifestam διάνοιαν contrarium dixit, hoc modo. Non duces proximam carnis. At verò uxoris tuæ soror est tibi proxima carnis etc. Ergo! Porrò, Nullus Philosophus mihi ostendet hanc concludendi licentiam in divinis mysteriis, tantique momenti negotiis. Contrarium autem ipsi ostendero, nullo negotio, si tempus postulat, aut res. Sed quorsum ista? In versiculo controverso reperitur universalis hæc negans, Nullus homo mulierem ad sororem ejus assumat. Idque ex universali fundamento v. 6. Nullus omnino vir, cujus etiam conditionis ille sit, ad proximum vel proximam carnis accedat. Si rectè ratiocinantes consulere animus est, per me licet. Fiat in logicis periculum in subalternatione. Nullus homo est lapis. Ergo per subalternationem: Quidam homo non est lapis, quando enim vera est subalternans, vera quoque est sub alternata. Ita quoque sequitur: Nullus sororibus ducet uxoris suæ sororem. Ergo nec quidam sororius ducet uxoris suæ sororem Si nullus etc. Si nullus ducet, ubi est ille *quidam!* cui ducere licebit? Si soror nulli sororio nubet, ubi est ille sororius, qui illam ducere potest salvâ prohibitione divinâ? Faciamus etiam periculum in oppositione. Enuntiatio Mosaica est universalis negans, Nullus ducet uxoris suæ sororem. Jam verò quia assertio de contradicentibus loquitur, ponatur huic contradictoriè opposita, illa erit particularis affirmans. Quidam ducet uxoris suæ sororem. Consulamus jam regulas Logicorum tritas, reperiemus quod contradictoriè oppositorum hæc natura & lex sit, ut unâ verâ, semper falsa sit altera. Atqui universalis negans, Nullus ducet uxoris sororem, quia est textualis & Mosaica, ideò vera est & verissima. Ergo particularis affirmans, quidam ducet uxoris scilicet defunctæ sororem, falsa erit & manebit. Extricet se assertio, si potest, quando ad philosophos provocat, cœtera de contradicentium ac contrariorum naturâ non attingo, quippe quæ huc non pertinent. (4.) Fatetur assertio, argumentum à contrario sensu vacillare, ubi colligit illicitum. At uxoris defunctæ sororem ducere, illicitum esse negat. Cum tamen nullo apice probaverit, diurnam aliquam hoc in genere reperiri concessionem, uti fieri decebat, idque vel expressis verbis, vel per con-

sequen-

ſequentiam neceſſariam & evidentem, itâ, ut fundamentum argumentationis non in cerebro, vel opinione humanâ, ſed in ſcripturâ & revelatione divinâ pedem figat. Quia autem adſertio hoc præſtare non potuit, iccirco hanc aridam conſequentiam; Non licet, vivente uxore. Ergo licet uxore defunctâ, hanc inquam ſequelam obſignabo iisdem verbis, quibus adſertio hic utitur. Nempe, *ſub petitione principii jacens hoc argumentum, ſuo loco eſſe relinquendum.*
(5.) Exemplum addebatur in Gamologia, quo oſtendi, argumentum à contrario abſurdum eſſe, quando illicita colligit. Si pater dicat, mi fili, ne me vivente furtum facias, & ſic me affligas. Ergo mortuo patre furari filio licebit. Aſſertio hoc concedit, ſed addit, in noſtro caſu, nulla exiſtit prohibitio. Extra peccatum duas duci ſorores, niſi hiſtorias Iſraëlis velim in dubium vocare. Repono. Probavi ex Levit. *c. 18 v. 18.* uxoris Sororem univerſaliter & purè prohibitam eſſe, idque multis argumentis. Malè igitur aſſeritur, nullam exiſtere hujus caſus prohibitionem. Jacobi hiſtoriam non voco in dubium, credo enim, quod duas in lecto geniali habuerit ſorores, ſed præterea ſcio, non exemplis ſed legibus judicandum eſſe. Exemplum quoque jacobi, noſtro ſeculo hominem matrimonio duarum ſororum ſucceſſivè implicatum, æqui bene excuſabit, quam ejus polygamia ſimultanea, hoc ævo excuſare poteſt bigamum. Verum, infrà de his latius (6.) Exemplum meum valdè abludere à caſu, de quo diſputatur, exiſtimat aſſertio, quod latine ſic reddit. *Exemplum illud, propter enormem diſſimilitudinem, utroq; podagrico pede claudicat.* Aliter ergo illud & format, nimirum hoc modo. Si pater filio dixit, quam diu vixero, tu nihil accipies ex bonis meis. Hinc non inferri, filium poſt mortem patris excluſum eſſe ab hæreditate paternâ, id quod verum eſt. Sed regero, ſi pater filio ſimpliciter dicat. Tu planè non eris hæres meus: Hæc verba ſimpliciter exludunt. Sed ubi leguntur verba illa in Levitico. Quam diu vixerit uxor tua (ut pater hic introducebatur, dicens; quam diu vixero) tam diu non duces ejus ſororem. Planè non reperiuntur in textu. Sed hæc leguntur verba, & mulierem ad ſororem ejus non aſſumito. Hæc verba ſimpliciter excludunt alteram ſororem. Ergo verba patris dicentis, quam diu vixero nihil accipies è bonis meis,

cum verbis Mosis planè non congruunt; Sed ob enormem dissimilitudinem claudicant pede podagrico.

Adsertio.

Pergit Gamologia ita inferre: Mulieri prohibitum est successivè duobus fratribus nubere. Ergo conclusio hac est inepta: Viro non est prohibitum successivè duas ducere uxores, scribere fortè voluit sorores; quia per priorem prohibitionem juguletur monstrosa hac adsertio. Sed in quo capite resident ista ineptia? Unde nascitur aliquid monstrosi? Videtur autor Gamologia prudentissimo legislatori Mosi, si non ipsi Spiritui Sancto istas ineptias, & monstrosas adsertiones, luculenter impingere, quippe, qui utramq; conclusionem posuit in eâdem lege. Et ubinam est ista alterius conclusionis jugulatio per alteram facta? Certe Spiritus Sanctus dictitavit Mosi hasce tres conclusiones: Mulier non debet nubere duobus fratribus successivè, si prolem ex priore fratre susceperit. Mulier debet nubere duobus fratribus, prole ex priore non existente. Vir non potest ducere sororem uxoris viventis. Quemadmodum autem ha conclusiones inter se non pugnant, ita nec ulla earum pugnat cum nostra conclusione ex jam dicta ultima per bonam consequentiam eruta: vir potest ducere sororem uxoris defunctæ. Nullam jugulationem aut pugnam probabit adversarius, si recordabitur, non esse eandem rationem matrimonii fœminæ cum mariti fratre, quæ est cum uxoris sorore, quod in Responso nostro satis deductum, ab illo aut non captum aut strenuè dissimulatum videtur, cum quod nostris rationibus opponeret, ipsi non suppetierit!

Consideratio.

ADsertio responsi Juris incipit hic μικρολογεῖν, sive de aliquo minimo, quod nullius est momenti verba facere. Legi, ait, in Gamologia prohibitum esse, duas uxores ducere successivè, scribi debuisse sorores, quasi verò puero non suboleat hic error amanuensis, cum constet de duabus sororibus hîc disputari, non generaliter de duabus uxoribus. Deinde nimis tepidè & obscurè format argumentum meum, quod primum erat in ordine, uti benevolus Lector suprà vidit. Paucis repetam discursum. Mulier successivè nubens duobus fratribus, impingit in gradum primum lineæ collateralis æqualis, qui prohibetur expressè Levit. c. 18. v. 16. Sed & Vir, successivè ducens duas sorores, impingit in eundem gradum prohibitum. Ergo utrumque est illicitum: quod postea syllogisticè propo-

proposui. Nam ubi eadem ratio est, ibi idem jus est. Dico igitur, hanc prohibitionem, Fratria non nubet duobus successivè fratribus, plane jugulare fictitiam, & intra cranii suturas natam hanc concessionem; Sororio licebit ducere duas successivè sorores: quæ concessio meritò inepta vocatur & monstrosa, dum sibi concedi vult illum gradum, qui exsertis verbis à Deo prohibetur v. 16. Et sic monstravi, unde ineptiæ & monstrum nascantur. Quod si quis excipit, personas recensitas in Levitico prohiberi, non autem gradus, hac de re infrà disputabitur, ubi hæc quæstio à Dn. Opponente movetur. Clarius istud ostendam. Deus addit prohibitionis suæ rationem, quia, inquit, Fratria est nuditas fratris tui; hoc est, frater tuus illam nudavit, cum eâ consuevit, & sic cum illa factus est una caro, propter illam propinquitatem omnino ab illâ abstinebis. Secus si feceris, operaberis (נדה) Niddah, remotionem, istud est, tale quid, quod tanquam abominatio, quam omnes aversantur, ex oculis removendum est. Alii vertunt. Tu scelus operaberis, quod additur Levit. c. XX. v. 21. Sic rectè dico, tu soror non debes nubere sororio, quia sororius est nuditas sororis tuæ, hoc est, soror tua cum illo consuevit, illum nudavit, vel ab ipso nudata est; Secus si feceris, Niddah erit, abominatio erit, scelus erit. Eadem enim in utroque casu est cognatio, eadem in utroque casu est specialis prohibitionis ratio: quæ in v. 18. ideò non tollitur, quod inibi totidem verbis non repetitur. Et quis ignorat magni ac judiciosissimi Theologi Chemnitii regulam, ex ipsis textûs visceribus ex v. 7. & v. 14. erutam? In his prohibitionibus Levitici non attendi sexûs differentiam. Sed, in quo gradu fœminæ prohibentur masculis propter carnis propinquitatem, in eodem gradu masculi prohibentur fœminis. Rectè igitur argumentamur, privignus non ducet novercam v. 8. Ergo privigna non nubet vitrico. Frater non ducet sororem, v. 9. Ergo soror non nubet fratri. Masculus non ducet fratriam v. 16. Ergo fœmina non nubet sororio. Sed inquit assertio, spiritus sanctus dictavit Mosi has tres conclusiones (1.) Mulier non debet nubere duobus fratribus successivè, si prolem suscepit. (2.) Mulier debet nubere duobus fratribus, prole ex priore non existente (3.) Non potest ducere sororem uxoris viventis. Ex quo per bonam consequen-

tiam eruitur, Ergo Vir poteſt ducere ſororem uxoris defunctæ. Repono id, quod toties mihi venit inculcandum, nimirum tertiam concluſionem, in univerſis bibliis non reperiri; nullam ibidem exſtare enunciationem reſtrictivam, ſed univerſalem negantem, quod verum manebit & immotum. Et mulierem ad ſororem non aſſumito. Athnach, pauſa! Verba quæ ſequuntur, non pertinent ad prohibitionem, ſed ad rationem exaggerantem. Præterea, concluſio ab aſſertione allegata non ſequitur ordinem verborum, quem ſpiritus ſanctus dictavit, ſed quatuor integras voces præterit, & ſic verba, quæ in textu non connectuntur, temerè connectit, omnemque diſtinctionem biblicam negligit. Provoco, quod toties feci, ad textum originalem, ad judicium oculorum. Malè igitur annectit aſſertio, non eandem eſſe rationem matrimonii fæminæ cum mariti fratre, quæ eſt cum uxoris ſorore, quod in reſponſo juris deductum ſit, quod aut non intellexerim, aut ſtrenuè diſſimulaverim, cum quod rationibus iſtis opponerem, non ſuppetierit. Reſpondi jam antea in Gamologia, ubi luculentè dico, quod tantùm quædam & principaliora argumenta illius reſponſi juris perluſtrare voluerim; & cætera attingere noluerim. Sed quia aſſertio me urget, ut rationibus, quibus reſponſum juris oſtenderit diverſitatem inter matrimonia, quando fratria ſucceſſivè, extra caſum prolis non exiſtentis, nubit duobus fratribus, & quando ſororius ducit duas ſuceſſivè ſorores, nunc mea opponam argumenta, non abnuam: Meminerit autem aſſertio, quod hoc intendam; Utrumque matrimonium impingere in unum eundemque gradum prohibitum, videlicet, in primum gradum æqualis lineæ. Reſponſum juris numero 346. hos caſus in genere ſimiles eſſe negat, hoc autem non contra me. Scio enim fratriam fœmianm eſſe. Sororium eſſe marem. Illa nubit viris, hic ducit fæminas, quod nihil facit ad identitatem gradus hujus prohibiti deſtruendam, qui in utroque elucet matrimonio. Sed videamus rationes diverſitatem arguentes in citato reſponſo juris (1.) Fratris, inquit, uxorem ducenti pæna dictatur, Deut. c. XX. v.21. Res exterminanda eſt, nuditatem fratris ſui retexit, ſine liberis ſunto, quæ pæna ne quidem duas ſorores ſimul ducenti conſtituta ſit. Reſpondeo, ſi ex pæna additâ, & alicubi non addita, naſcitur caſuum diverſitas, diverſi etiam erunt caſus Levit. c. XVIII. v.16. & c.XX v.21.

deſcripti-

descripti: nam priori loco nulla dictatur pœna ducenti fratriam, posteriori loco eidem constituitur pœna. Ergo casus de fratria non ducenda, de quo agitur Levit. c. XVIII. v.16. diversus est, à casu de fratriâ, quoad proximitatem, non ducenda; de quo Levit. c.XX. v.21. Cum tamen utrobique de uno eodemque casu agatur. Mira igitur est illatio, si quis ita argumentetur; in loco Levit. c. XVIII. v.16. non dicitur quod sit Niddah, vel abominatio, sive res exterminanda, si quis fratriam duxerit. At Levit. c.XX. v. 21. dicitur, quod sit abominatio, si quis duxerit fratriam. Ergo casus de fratriâ non ducendâ Levit c. XVIII. v. 16. & Levit. c. XX. v. 21. descripti, sunt diversi casus. Nemo me feret, ita inferentem. Sic non sequitur, pœna dictatur ducenti fratriam, sed pœna non dictatur simul ducenti uxoris sororem. Ergo quoad gradum sunt diversi casus. Vel ita; Ducens fratriam, operatur Niddah, sive abominationem. Qui simul duas sorores uxores ducit, non operatur Niddah, quia de hoc casu id non dicitur. Teepnt omnia! (2.) Pergit responsum juris: Qui fratriam ducit, ille nuditatem fratris sui retegit, quæ ratio cessat in defunctæ uxoris sorore; quæ non potest dici uxoris suæ nuditas, quo verbo pudenda indigitari docetur. Respondeo. Nuditatem poni pro partibus, quas natura tegi postulat, hic dicitur. Sed in textu non ponitur solum vocabulum incomplexum *Nuditas*, sed phrasis, sed oratio composita. Fratria est nuditas fratris tui. Quis totam hanc orationem voce incomplexâ unâ (pudenda sunt.) explicaret? Nemo. Ergo hoc innuitur: Illa est nuditas, fratris tui, id est, frater tuus eam nudavit, quemadmodum supra dixi, frater cum eâ consuevit. Hoc iterum dicitur Deut. c. XX. 21. Non duces fratriam, quod si feceris, reteges nuditatem fratris tui, hoc est, tu reteges eam, quam frater tuus retexit & nudavit; quæque propter illam retectionem aut nuditatem, & hinc natam affinitatem, tibi nimis est propinqua, clarè! Tu pessimè consuesces cum illa, cum quâ frater tuus consuevit, quod est Niddah sive abominatio. Videamus nunc, an hæc ratio planè cesset in illo matrimonio, quo defunctæ uxoris soror ducitur, quemadmodum responsum juris putabat. Hoc nego, & negantem statim probo. Tu soror non nubes sororio, propter eandem rationem Levit. c. XVIII. v.16. & c. XX. v. 21. additam. Quia sororius & nuditas sororis tuæ, hoc est, sororius retexit, nudavit sororem tuam, cum

ea consuevit, & propter hanc retectionem aut nuditatem, & hinc natam arctiorem affinitatem, tibi nimis est propinquus; quod si tu, susque deque hoc habueris, ac temere illi nupseris, profectò tu operaberis Niddah, sive abominationem; quia idem tu facis, quod faciebat ille, qui fratriam suam ducebat. Frivolum ergò est, quod responsum juris dicebat: De sororio non posse dici, Est nuditas sororis tuæ. Quidni? Nonne cum sororem habuit? Et quando hanc alteram quoque sororem nudabit, tum etiam erit nuditas hujus, & sic cum duabus sororibus rem habuit. Hic autem cardo rei non vertitur, sed in hoc: An sororius sit nuditas uxoris defunctæ, sicut fratria est nuditas fratris defuncti? Hoc autem jam probavi satis dilucidè! Hic Rhodus, hic nodus, hic saltandum, hic secandum! Hoc in quæstione est, cur soror sororio nubere non possit? Respondeo sorori nupturienti, ex utroque loco Levitici, de fratriâ non ducendâ. Quia sororius est nuditas sororis tuæ defunctæ. Hoc est, sororius cognovit sororem tuam defunctam. Ergo te proximam sibi affinem nequaquam ducere potest, & tu nullo modo ei nubere potes, idque pari jure ac prohibitione, quibus quis fratriam suam Levit. c. XVIII. v. 16. c. XX. v. 21. ducere expressè prohibetur. Prohibito enim uno, statim prohibetur alterum, propter facti utriusque identitatem, respectu prohibitionis, & additæ rationis, ob quam proprohibitio facta est. In hoc genuinos exerceat, qui odontalgiâ non laborat. (3.) Jam sequitur tertia ratio responsi juris, quâ diversitatem horum casuum de fratria non ducendâ, & defunctæ uxoris sorore non ducendâ, probare allaborat. Mulier, inquit, duobus fratribus si nuberet, tum semina fratrum confunderentur in unâ muliere quæ confusio fieri nequit, si sororius successivè duas ducit uxores. At quia video, istud de seminum confusione repeti paulò pòst, ubi quoque Gamologia mea miserè vapulat, sed præter meritum, responsionem istuc differam, ne bis eadem reponatur & calefiat crambe. Tantum de deductis in Responso juris. An hæc intellexerim, mihique suppetierit, quod deductis rationibus opponerem, (sunt verba adsertionis) liberrimè judicet Lector. Si phrasiologia biblica melius à responso juris fuisset intellecta, vix ulla hâc de re lis fuisset nata.

Adser-

Adsertio.

P*Orro addit, in Levitici c. XVIII. ne vestigium inveniri, de concessione matrimonii, cum defunctæ uxoris Sorore, propterea, quod in illo capite, nulla concessio reperiatur, sed meræ prohibitiones. Verum, hic nodus jam erat dissectus in responso nostro. n. 289. 324. & seq.*

Consideratio.

CUi adlubescit, legat argumentum meum tertium, capite primo propositum & expositum, & videbit, quàm firmo istud stet talo, sed paucis (1.) Qui mihi vel unicam concessionem in toto capite Levit. XVIII. à v 6. ad finem ostenderit, is Phyllida solus habebit; nulla ibi est. Legite fultis citatum caput; oculis vestris fidem habete; reperietis in singulis versiculis prohibitionem. Ne fiat, ne retegito, ne retegito, ne committito, &c. Qui videt leporem à venatore capi, non finet sibi ullo argumento persuaderi captum esse crocodilum, Nobilis Nili pessimum incolam, contra oculorum sensum. (2.) Generalis lex in hoc capite negans & prohibens, exstat v.6.

Nullus homo ad ullam propinquam carnis suæ accedat.

Sed illa, omnes leges speciales sequentes, suo circumplexu cohercet, ex quâ de cæteris omnibus specialibus prohibitionibus judicandum est. Illa autem non potest, per prohibitionis naturam, *ne fiat*, alicubi aliquid Jubere, *ut fiat.* Quemadmodum ex universali negante nunquam elici poterit particularis affirmans, sicut ex aquâ nivali & glacie, nunquam ignis, ita ex prohibitione nunquam nascetur concessio. (3.) Quæ prohibentur in singulis versibus à v. 6. ad v. 24. Deus omnia illa vocat abominationes, v. 26. Non facietis ullam ex omnibus istis abominationibus, quod repetitur v. 27. v. 29. v. 30. Et non excipit hic vel unicum versiculum. Quis igitur ingenii tàm erit inops, ut concessionem aliquam hic delitescere, sibi persuaderi patiatur? Provocat quidem Assertio iterum suo more ad responsum juris num. 289. & 324. Bene! Numero 289. Invenio hæc verba; *Constat enim ex textu, Mosis intentionem non fuisse proponere & enumerare, quænam nuptiæ concessæ & permissæ, sed quæ prohibitæ* sint à Deo. Sed hoc pro me dicitur, non contra me. Hoc est, quod volo, quod hic defendo. Additur tamen; hunc nostrum casum inter prohibitos non inveniri. Sed hoc temerè dicitur

contra

contra expressa verba textûs originalis. Et mulierem ad sororem ejus non assumito. Pausa! Quis quæso non videt hîc apertam prohibitionem? Numero 324. conceditur, tantum prohibitiones, & nullas concessiones expresſè & κατὰ ῥητὸν textu, Levitici c. 18. contineri. Iterum pro me hæc sententia masculè militat, idque contra adsertionem; sed sequitur, interim non sequi, matrimonium cum uxoris defunctæ sorore, ex inevitabili consequentiâ, non esse ibi concessum. Sed pauló pôst probabo, tantum abesse, ut inevitabilis consequentia pro hoc matrimonio inde extrui possit, ut etiam plane nulla ex hoc textu talis suppullulet sequela. Quæ de restrictivâ prohibitione sequuntur, aliquoties prostrata sunt; à cerebro humano conficta sunt; prohibitio, quæ simpliciter prohibet, non prohibet sub aliquâ limitatione, vel exceptione. Ex toto contextu concludendum esse, porrò asseritur, Bene! Sed ex contextu toto prohibente, biblicè distincto & inciso, non autem confuso, & sine sufflamine protruso, ita ut prohibitio & prohibitionis ratio exaggerans, uno impetu, tanquam catapotia cum syrupo deglutiantur. Tantum ad illa, in responso juris prolata, ad quæ remittebatur.

Adsertio.

ET si hoc loco memor fuisset adversarius doctrinæ suæ, quædam per se concedi in scripturâ, quædam per consequentiam, forte hoc argumentum proponere erubuisset.

Consideratio.

SAtis memini, & in Gamologia ostendi, quædam dici in Scripturâ κατὰ ῥῆμα, id est, exsertis verbis, totidem verbis (Assertio vocat per se, quod opponi solet ei quod est per accidens: Ergo huc non quadrat.) quædam educi ex illâ per consequentiam, sed tamen non quamlibet; sic enim Scriptura dixisset, quòd quilibet judæus, Photinianus, Anabaptista, Paracelsista, nihili suis sequelis è scripturâ depromere conaretur. Verum per consequentiam necessariam, & evidentem, quod nemo negat, nec ipsa adsertio id negare audet. Repeto igitur argumentum meum quartum è capite primo, quod ita habet.

Quicquid Scriptura plane præterit, ita, ut nec verbis nec evidente ac necessariâ consequentiâ istud doceat, id non temerè debet affirmari ac defendi, Atqui

Atqui licentiam ducendi uxoris defunctæ sororem, scriptura planè
præterit, &c. ——— ——— ——— Ergo.
Sanè, Scriptura verbis id non docet, quod certum est. Per necessariam quoque consequentiam id non docet, quia hypothesis illa sive enunciatio illa restrictiva; Non duces ad lacessendum: Non duces in vitâ ejus. Ex quâ hypothesi, in textu originali non repertâ per consequentiam hoc malè elici voluit. Ergo licebit uxoris sororem ducere, quando uxor mortua est, quando affligi non potest, sed uti jam jam dixi, priùs istud planè non reperitur in toto Mose; ubi ergo pedem figet posterius, quod in priori suum frustra qrærebat fundamentum? Hoc igitur argumentum meum non erubescit, sed absque rubore publicè stabit, donec limitatam talem concessionem, non nemo mihi è textu originali monstrabit. At quando? Ad græcas nempe calendas!

Adsertio.

EO enim ipso, quod cum personis nominatis contrahere prohibitum est, censetur cum reliquis contrahere concessum esse; per pronam & evidentem consequentiam. Id quod etiam in hac nostrâ materiâ usu venit, ubi specialiter, restrictè, & sub expressâ conditione, si uxor adhuc vixerit, prohibitum est ejus sororem ducere. Et obsecro, quis unquam, nisi omnis sequelæ inops, ex hac speciali lege ita argueret? Nemo debet ducere sororem uxoris, si hac adhuc vivit; Ergo etiam nemo debet ducere illam, si uxor non amplius vivit.

Consideratio.

SI tantum personæ in Leviticô nominatæ prohibentur, & cum reliquis contrahere conceditur; sic avia nubere potest nepoti, & proneptis avo, quia hæ personæ non nominantur in prohibitionibus expressè. Absurdum. Verùm de hac quæstione an tantum personæ, in famoso hoc Levitici loco nominatæ prohibeantur, Dominus Opponens agit in calce adsertionis, ubi dispiciam, quid subsit solidi. Redit deinde exceptio, quæ utramque facit paginam de prohibitione restrictivâ. Non duces uxoris sororem ad lacessendum: non duces eam, dum vivit uxor. At cui bono? quippe, quæ nunquam probatur, quæque in textu non reperitur, cadit ergo lubricæ huic hypothesi insistens sequela, non duces uxoris viventis sororem. Ergo

duces uxoris defunctæ sororem. Hoc cum Mercurio dudum
——— ——— ——— ——— nocti se immiscuit atræ.

Adsertio.

D*Einde ita argumentatur Adversarius, non licet ducere uxorem defuncti fratris, ergo nec defunctæ uxoris sororem. Quia utriusq; quoad gradum, par est ratio. At nos negavimus, & adhuc negamus consequentiæ rationem, propter diversitatis rationes in responso nostro formatas, quas adversarius tacitâ approbatione, dum non refutat, confirmat. Vagatur autem vehementer in petiti principii labyrintho, in quo nos toties errare absq; ratione judicat.*

Consideratio.

REpetit assertio illa, quæ paulo ante, idque præcedente paginâ inculcavit, de diversitate casuum non ducendæ fratriæ, & non ducendæ uxoris sororis: At negat consequentiæ rationem, & utriusque quoad gradum, rationem esse parem, propter rationes in juris responso firmatas. Sed, quia illa omnia modestè protrita & sopita sunt, in præcedentibus foliis, non repeto idem, ne legenti suboriatur nausea, sed remitto ad ea, quæ solidè respondi ad hæc. Principium autem ubi petam, nondum vidi, asserio quidem hoc dicit, sed non probat. Interim propositio restrictiva & conditionata sive exceptiva,

Non duces uxoris sororem, dum uxor vivit, quæ toties recurrit, & toties certè principium petit, quoties recurrit, quod rectè monui in Gamologia pag. 414. quia hæc semper supponitur, & nunquam è textu hebræo probatur. Hoc autem est principium petere, τὸ ἐν ἀρχῆ λαμβάνειν, cum id loco probationis sumitur, quod in quæstione est, quod æquè dubium est, quemadmodum logici loquuntur. Utinam Adsertio sibi oblatum arriperet Ariadnes filum, & legeret textum originalem cum sua distinctione nativâ, ut hoc labyrintho statim exiret, profectò res esset mihi tàm grata, quàm quæ gratissima & sic tota hæc disputatio bonâ cum gratiâ esset composita.

Adsertio.

R*Itè enim probare debebat, non ex merâ suâ, & præceptorum authoritate adserere, graduum propinquitatem in genere esse causam omnium*

um probibitorum à Mose matrimonii generum, quo facto, demum robur argumenti sui ostendere. At verò plus quam miserè inducit: Graduum prohibitio, non dependet à confusione seminum. Ergo semper & ab hac propinquitate consanguinitatis & affinitatis. Si enim in gyrum syllogismi reduxerit adversarius hanc suam illationem, tunc fortè perspiciet, quàm turpiter in nectendis sequelis hallucinetur. Namq; plures possunt esse causæ alicujus prohibitionis in nuptiis, quàm confusio seminum, & hæc propinquitas sanguinis aut affinitatis. Et quorsum ille refert summi legislatoris voluntatem, in jure hoc positivo condendo? Cujus ratio, ut ut hominem lateat, id legis valorem non infringit. Hinc ipse Lutherus, & alii Doctores, ut in responso nostro probavimus, docent, Mosen gradus circa has prohibitiones non numerasse, sed ad personas solùm respexisse. Ideoq; malè cum aliis infert adversarius. Nefarium censetur, si quis uxorem fratris ducat. Ergo nefas etiam est, si qua nubit sororis marito. Præterquam enim, quod hæc illatio venit ex suppositâ gradus prohibiti. falsâ reciprocatione, non unam inter duos hosce casus, sed plures diversitatis rationes dedimus in responso nostro, sub numero 346. & seq. ab adversarii sanè confutatione illibatas.

Consideratio.

HOc vult assertio (1.) ostendere debui, graduum propinquitatem esse causam prohibitorum à Mose matrimonii generum, & robur argumenti mei ostendere. Respondeo. Feci hoc in Gamologiâ passim, videatur inter alias pag. 408. ostendo quoque nimiam propinquitatem (non dico graduum propinquitatem, cur ergo verba mea mutantur.) sive ex consanguinitate, sive ex affinitate ortam, esse genuinam causam omnium illarum prohibitionum, in Levit. c. XVIII. quæ inter nonnullas personas matrimonium averruncant. Ergone illud debeo ostendere, quod Mose tam luculentè dudum ostendit v. 7. Nullus homo ad ullum propinquum, vel propinquam carnis suæ accedat. Ito jam per omnes versiculos specialiter prohibentes, & quære ex Mose cur hæc matrimonia omnia & singula sint prohibita? Respondebit ex v. 7. propter nimiam propinquitatem, vel carnis proximitatem (שאר בשרו.) quid clarius dici potest? Nonne hic prohibitionum omnium causam ostendit? Porrò (2.) Argumenti mei robur debui ostendere. Sed & hoc feci supra cap. 1, arg. 1.

Quicunque impingit in primum gradum lineæ collateralis æqualis, à Deô Levit. c. XVIII. v. 16. expreſsè prohibitum, is peccat.

Atqui, ducens duas ſucceſſivè ſorores, impingit in primum gradum lineæ collateralis æpualis, à Deô Levit. XVIII. v. 16. prohibitum. Ergò.

Sed Dn. opponens gradus non admittet, quas tamen jura, Civile, Canonicum, Municipalia, tot ac tanti Theologi, tot ac tanti JCTI admittunt. Quàm benè, videbimus infra, ubi mihi hanc controverſiam movet. Sed facilis hìc ero, & eundem medium terminum, quo in hoc ſyllogismo uſus ſum, in gratiam Domini opponentis, in dutum phraſi Moſaicâ ponam hoc modo. Quodcunq; matrimonium parit Niddah, ſive abominationem, illud prohibitum eſt. Atqui matrimonium, quo mas cum fratris nuditate (ſive cum ea, quam frater nudavit.) quo fæmina cum ſororis nuditate, (ſive cum eo qui ſororem nudavit) conſueſcit: parit Niddah ſive abominationem. Ergo utrumque matrimonium eſt prohibitum. Major eſt immota per textum. Minor eſt certa per facti identitatem, quam non tollit facientium, quoad ſexum, diverſitas. Mas ducit fratris uxorem. Mas ducit uxoris ſororem, eadem in utroque caſu eſt affinitas, eadem nimia propinquitas ex nudatione orta, idem utriusque factum. Mas furatur centum unciales. Fœmina furatur totidem. Ille vicino, hæc vicinæ; Ejusdem conditionis hominibus. Interea æquè peccant ambo contra ſeptimum præceptum. Ille furatur, & hæc furatur, idem utrobique factum pullulat. (3.) Dicitur, me ita colligere, ſed plusquam miſerè. Graduum prohibitio non dependet à confuſione ſeminum. Ergo ſemper ab hac propinquitate conſanguinitatis & affinitatis. Provoco ad Gamologiam pag 407. num. 16. ibi verbotenus leguntur ſequentia. *Nec quicquam hic proficiunt, qui excipiunt. Non licere fæminæ ſucceſſivè duobus nubere fratribus, ideò, ne fiat confuſio ſeminum, quæ in duabus ſororibus non invenit locum. Altera enim ſoror moritur, & relinquit viduum, altera ſoror poſt mortem ducenda, à viduô Affine nondum eſt cog[illegible]. Ergo hic nullus metus, ſed uno verbo. Intortus hic aries facili negotio proſtratus jacet. Graduum enim prohibitio, quæ in celebri capite Levitici XVIII legitur, non propriè dependet à confuſione ſeminum. Si, inde, NB. tantum oriretur, poſſet non*

nemo

nemo successivè matrem & filiam ducere, quod tamen ex asse probibitum est. Alia igitur fruticatur probibitionis causa, scilicet illa, quæ nimia propinquitas (שאר בשרו) *Levit. c. XVIII. v. 7. indigitatur, sive ex consanguinitate, sive ex affinitate sit orta: Ut igitur nefarium censetur, si quis uxorem fratris ducat; ita ex eodem fundamento nefas est, si qua nubit sororis marito.* Hæc fuerunt verba mea. At quinam sunt illi, qui excipiunt diversitatem esse inter hos casus, quando quis fratriam ducit, & quando quis uxoris suæ sororem ducit, quod in priori casu metuenda sit seminum confusio, quæ in altero casu cesset? Hæc est illa tertia ratio ipsius responsi juris, numero 353. quam paulò ante allegabam & responsionem meam suspendebam, quam hîc commodius inserere poteram. Repeto igitur Schemata mea. (1.) prohibitiones Levitici c XVIII. NB. non propriè dependent à confusione seminum, sed à nimiâ propinquitate quæ v. 7. vocatur (שאר בשרו) Caro Carnis; qui hoc negat, ipsa Mosis verba impugnat. Nemo ad proximam vel proximum carnis suæ accedat. Percurre jam omnes versiculos prohibentes, usque ad v. 18. inclusivè, & quære, cur non ducenda sit noverca, nec soror, nec neptis, nec novercæ filia, nec amita & sic consequenter. Semper respondebit Moses per causam genuinam & generalem. Non licet, quia est proximus vel proxima carnis tuæ, vel, nimis tibi propinquus aut propinqua est. Huic omnes causæ speciales involvuntur. Sic v. 16. prohibetur fratria. Sed non additur illa causa, quam Responsum juris comminiscitur, numero 365. ne fiat seminum commixtio, sed quia nuditas fratris tui est, quia est tibi nimis propinqua, caro carnis est, uti Mose dixerat. v. 6. Ad Adsertio ideò me pungit & dicit. Plus quàm miserè inducit, si in gyrum syllogismi reduxerit adversarius hanc suam illationem, tum fortè perspiciet, quàm turpiter in nectendis sequelis hallucinetur. Verba sunt satis aculeata, & in Zonâ torridâ nata; facilis condono, quia me nec torrent, nec mordent, nihilque ad rem faciunt! En! Fratria prohibetur, non ob seminum confusionem, alia fruticatur causa in textu, nimirum, nimia propinquitas. Num hic miserè infero? Solidè infero, & ipsum textum allego ex v. 6. sed syllogismus petitur, ut lapsus meus in nectendis sequelis magis pateat. Quæro quâ fronte? Deus unus est. Probo ex Deut. c. 6.

Audi Israel, Deus tuus unus est. Assertio non est contenta luculento textu. Jubet, ut reducam in gyrum syllogismi. Medicus dicit, Piper calefacit. Probat per experientiam. At juxta assertionem redeat in gyrum syllogismi. JCTUS probat luculentâ lege, sed nil valet sine gyro syllogismi. Hic reviviscit Tannerus in colloquio Ratisponensi. Ad rem: causa prohibitionum in Levitico est, non propriè seminum commixtio, sed ne quis ad carnem carnis accedat; ad nimis propinquum vel propinquam, sive illa propinquitas oriatur ex consanguinitate, sive ex affinitate, sed Probetur syllogismo id quod apertè dixit Moses v. 6. pulchre! Deus est unus, quia dicit Moses, Deus tuus unus est. Fiat syllogismus. Currat διάνοια ad ignotius à notiori, ubi assertio & probatio æquè sunt notæ, & iisdem constant perspicuis sacri textûs verbis. Siccine ex æquè noto, concluditur æque notum? An miserè inferat, qui ex claro textu infert & probat, & an ille turpiter hallucinetur, eruditus Lector dispiciat. Interim, quia tàm importunè syllogismum à me postulat assertio, nullo negotio offero hunc. *Quæcunque causa, tanquam omnium prohibitionum in contrahendo Matrimonio, vera & adæquata à Mose ponitur, illa pro vera & adæquata causa est agnoscenda. Atqui non confusio Seminum, sed caro carnis, sive nimia propinquitas, in contrahendo matrimonio, tanquam vera & adæquata prohibitionum causa* à Mose v. 6. ponitur, Ergo. Jam quæro, habetne assertio aliam prohibitionis illius Levit. c. XVIII. causam? Ego nullam invenio, nisi quod dicit Assertio, & quorsum ille refert summi Legislatoris voluntatem, in jure hoc positivo condendo, cujus ratio ut ut hominem lateat, id legis valorem non infringit. Hic alia prohibitionis causa videtur poni, nimirum, *summi legislatoris voluntas.* Pulchre! Quæro, estne illa voluntas abscondita! Si hoc, sanè hodiernè omnes nescimus, quare nonnullis prohibitum sit contrahere matrimonium. Absonum! si revelata voluntas est, uti est, certe in his Mosaicis prohibitionibus, in hoc textu, in his verbis habemus voluntatem Dei, quid illa in matrimonialibus fieri & caveri velit. Imo tota scriptura, in revelandâ voluntate Dei comprimis est occupata. Et non credo ita desipere quenquam, qui in matrimonio piè ac legitimè contrahendo, vel aliam occultam divinam θέλησιν, aut aliud latens θελητὸν, alibi extra

scriptu-

scripturam sacram sit quæsiturus. Et quomodo ratio voluntatis divinæ prohibentis in Levit. c. XVIII. hominem latere poterit, quæ ex sanctitate & justitia divina, quæ sunt ipsa essentia facillimè derivatur. (4.) Adsertio mihi opposita, gradus consanguinitatis, contra jura, Theologos & Jctos celeberrimos oppugnat, sed ut dixi, infrà hac de re accuratius agam. Sequitur repetitio illa in Assertione, diversitatem esse inter casus, quando ducitur fratria, & quando ducitur defunctæ uxoris soror, in Responso, numero 346. esse deductam, quam illibatam reliquerim. Verum, in præcedentibus nunc satis illa deducta hujus Responsi libavi, ac solidè refutavi, quemadmodum Lector vidit. Cur autem illibata illa in Gamologia reliquerim, jam ante ex ipsa Gamologia ostendi, liber enim meus sub manu Typothetæ erat, nec animus erat singula, sed præcipua ex Responso juris attingere.

Adsertio.

Quàm autem is jejunè arguat, cum sororem uxoris, carnem carnis illius facere adlaborat, id in Responso nostro n. 374. seqq. demonstravimus, ad quod præter mera & inania verba ille reposuit nihil. Et verò, quid responsurus est ad illud absurdum, quod ex fictâ suâ carne carnis necessariò proficiscitur? Dicit enim, & pro immobili fundamento ponit, quod soror uxoris, sit caro carnis illius mariti, qui alteram sororem in thoro habet: Eadem ratione sequetur, quod duo fratres non possuit ducere duas sorores extraneas. Quod ille tamen libenter admittit in sua Gamolog. lib. 2. tit 5. posit. 2 n. 2. Certum enim est, quod ex ratione adversarii, & per textum Gen c. XXXVII. v. 27. duo fratres sint una caro, & duæ sorores inter se itidem sint una caro. Si itaq; duo fratres duxerint duas sorores extraneas, per necessariam adversi præsuppositi consequentiam, duo fratres, duas sorores extraneas in matrimonio habentes, habebunt carnem carnis suæ.

Consideratio.

(1.) Adsertio me jejunè statuere putat, inter sororium & uxoris defunctę sororem esse carnem carnis, sive nimiam propinquitatem, quod in Responso Juris aliter sit demonstratum; ad quod præter mera & inania verba nihil reposuerim. Respondeo. In Bucolicis

olim legebam, Parciùs iſta viris tamen objicienda memento. Vidit autor Reſponſi Juris, in Gamologia meam modeſtiam, ubi dico, quod aliquot Reſponſi folia tantum celeriter perlegerim, in principaliora argumenta tantùm inquiſiverim, quod mea intentio non fuerit totum conſilium impugnare. Malè igitur toties mihi opponit neceſſarium ſilentium, vel; quod inania opponam, cum planè nihil opponere ſtuduerim iis, ad quæ me non demiſi eo tempore. Cauſam hujus objectionis aſſequi nullam aliam poſſum, niſi hanc, quod mea extenuare, & ſuſpecta facere tentet, quaſi fundamentis nullis nitantur, & quaſi Matrimonium cum uxoris ſorore initum, in Reſponſo juris ita ſit defenſum, ut ſtet, tanquam murus Semiramidis. Quia igitur Adſertio hoc loco tam maſculè me provocat ad numerum 374. & ſeq: Reſponſi Juris, lubens ſequar, & ſingula percurram; quod ſine omni difficultate fieri poteſt. Hic autem lego. Certum eſſe, quod nemo ducere debeat proximam carnis ſuæ. Moſen autem non loqui, de quàvis proximitate, ſed de proximitate carnis ſuæ, hoc eſt ſanguinis, zu ſeiner nächſten Bludfreundin/ut Lutherus. Talem propinquitatem non eſſe inter ſororium & defunctæ uxoris ſororem, ſed affinitatem, quæ non eſt proximitas carnis. Refutat hic magnum Theologum D Gerhardum. Tom. VII. fol. 39. qui contrarium probare voluerit, ex Levit. c. XVIII. v. 17. Ubi extat prohibitio, ne quis ducat filiam privigni, vel privignæ ſuæ, ex adjectâ ratione quia caro tua ſunt. Quem locum fruſtrà citatum eſſe, ſibi planè perſuadet Reſponſum Juris, quando pergit num: 377. *Si textus, inquit. rectè inſpicitur nihil profectò minus ibi, quam hoc dici, ad oculum* patet. Verba autem textus Levit. c. 18. v. 17. ita recitat. *Nuditatem mulieris, & filiæ ejus ne retegito, filiam filii ejus, aut filiam filiæ ejus, ne accipito, ad retegendam nuditatem ejus, proximæ ejus ſunt.* Hæc ex verſione Junii & Tremelii deſcripſit Reſponſum. Et paulò pòſt dicit. *Quæ verba non poſſunt aliter* accipi *& declarari, niſi quod privigni, aut privignæ filia, ſit proxima (non vitrici) ſed ejus, hoc eſt matris ſuæ, ubi ſermo eſt de lineâ rectâ cognationis, non affinitatis* Hactenus Reſponſum Juris. Conſiderabo ſingula. Primùm dicebatur Moſen v 6. per carnem carnis, vel propinquitatem carnis, non quamvis, proximitatem, ſed proximitatem ſanguinis intelligere. Reſpondeo. (1.) Hoc tantum dicitur, ſed nullo fundamento probatur: Ergo

quod

quod certo fundamento nondum nititur, iſtud fundamentum non ſuppeditat. (2.) Si per propinquum vel propinqam carnis, ſola intelligeretur ſanguinis propinqitas, tam prohibitiones nonnullæ, Levit. c. XVIII. extantes, earumque ratio & cauſa, tantum à ſanguinis propinquitate v. 6 deſumpta, quemadmodum Reſponſum Juris, ad proprii cerebri, ductum hoc explicare audet, tunc, inquam, prohibitio, ejusque ratio, planè cohærent, ut calidum & frigidum, dextrum & ſiniſtrum. Eſto in exemplum v. 16 Nemo ducet fratriam, quia inter ducturum, mariti defuncti fratrem, & inter ducendam, relictam fratris uxorem eſt carnis ſive ſanguinis nimia propinquitas, ſive impediens conſanguinitas, ex ſtylo & mente Reſponſi Juris. Videt hic, qui non planè nihil videt, quod allata ratio, cum hâc prohibitione plane non congruat, & quod data ratio in hoc caſu prohibitio, hoc ſenſu ſit falſiſſima. Fratria mea non tantum ex alienâ familia, ſed ex alienâ gente eſſe poteſt, quæ nullo ſanguine me attingit. Ergo prohibitionis ratio generalis v 6 à Moſe poſita, de non ducendâ carne carnis, in hoc & aliis exemplis vel abſurdè ponitur, quod impium eſt dicere. Vel per carnis propinquitatem talè intelligitur, nimium propinquus, aut propinqua, ſive illa propinquitas per conſanguinitatem, ſive per affinitatem fuerit orta, idque eo certius, quo non in citato capite à conſanguineis tantum, ſed etiam à proximâ affinitate nobis junctis abſtinere jubemur. Et ſic videt adſertio, quod caro carnis, ſive nimia propinquitas non tantum in conſanguinitate, ſed etiam in affinitate, ex nudatione orta conſiſtat. Ideò etiam propter ſolam affinitatem quædam prohibentur connubia. Secundum erat D. Lutherum reddidiſſe v. 6. Nechſten Blut-Freunde. Reſpondeo propinquitas prohibens tàm ex affinitate quàm conſanguinitate nata, non poteſt commode, in Germanicâ Linguâ unâ voce ſatis emphaticè efferri, ideò Lutherus præcipuam propinquitatem ſignificanter expreſſit, non tamen excluſivè eam intelligi noluit, quippe, qui optime nôvit, non nullas etiam perſonas propter ſalvis affinitatis nimiam propinquitatem nobis omninò prohiberi, quod ex publicis ejus ſcriptis abunde conſtat, quodque textus biblicus ſatis luculentè oſtendit. Et quis ita inferret. Lutherus vertit, conſanguinea, ergo excludit conſanguineum. Sed ejusdem fere farinæ eſt hæc illatio Lutherus in verſione ponit conſanguinitatem. Ergo

 excluſit

exclusit omnem affinitatem. Apage! Tertium erat. Inter sororium & defunctæ uxoris sororem non esse consanguinitatem, sed affinitatem. Respondeo. Consanguinitatem in hoc casu nemo docuit, affinitatem autem nimis propinquam, quivis orthodoxus hic dudum agnovit, & quidem talem, qualem suprà solidè probavi, qualis est affinitas inter mariti fratrem & fratriam, quæ affinitas fratri viventi propterea prohibet fratriam, & propter eandem propinquitatem, simul prohibuit sororio uxoris suæ sororem, quæ ex iis, quæ jam ante dixi, repeti possunt. Quartum erat, Dn. D. Gerhardum malè argumentari, & probare voluisse ex Levit. c. XVIII. v. 17. quod Moses v. 6. per carnem carnis, sive propinquam carnis, etiam intellexerit proximam affinem, vel personam affinitate nobis nimis propinquam, quia Junius, & Tremellius sic reddiderunt, proximæ ejus sunt. Quod non aliter accipi possit, præterquam quod privignus & privignæ filia, sit proxima, non vitrici, sed matris suæ, ubi sermo sit de lineâ rectâ cognationis. Respondeo. Conferam me ad fontes Heberinos, ad textum originalem, ubi leguntur hæc verba, quæ Spiritus Sanctus dictavit.

שַׁאֲרָה הֵנָּה זִמָּה הִוא׃

Hoc est:

Propinquitas sunt, scelus est.

Miror, quod Author Responsi Juris, hic sugillare ausus fuerit D. Gerhardum tantum Theologum, quando Hebræum שַׁאֲרָה reddidit, caro tua sunt. Nil minùs in textu legi dicere audet Responsi Juris autor, si textus rectè inspicitur, sed quia non vir iste, in Jure suo exercitatus, potuit textum originalem legere, inspicere, tantum inspexit versionem Tremellii. Dicendum igitur fuisset, si versio rectè inspicitur. Interim non reprehendo in viris JCtis, quod Hebræa non possint legere, nam facultas juridica, in qua excellunt, hoc non requirit. At, si aliquis Theologus superbè carpere audet, & asserere, quod textum non intelligant, vel malè vertant, qui viridiores annos Anatolicis linguis consecrârunt, næ illi necessariò incumbit, ut ipsemet textum Hebræum legere, & in originali linguâ possit intelligere. Si secus, est cæcus; & dum alium ducere

ducere tentat, ipse ductor ductore se indigere fatetur. Non laudo illum cum nitro salientem præcipitantiam & singularitatem. Sed ad rem. Radix (שאר) Schaar idem notat quod super esse, reliquum esse, hinc (שְׁאָר) Schear cum Kametz, in ultimâ idem est quod reliquum, reliquiæ, sed (שְׁאֵר) cum Zere Scheer, idem est quod caro, alimentum; propinquus, propinqua, hinc (שארה) Scheer-ah per Zere, & He, notat carnem ejus, alimentum ejus, propinquam ejus sed שַׁאֲרָה Schaarah cum hac punctatione significat propinquitatem, & hæc vox est in textu. Ergo Schaarrha Hennah, propriè vertitur, propinquitas sunt. Sed eadam illa propinquitas Levit c.XVIII. v.6 dicitur (שאר בשׂרו Scheer Besaro) caro carnis ejus, non reliquiæ carnis ejus, ut vertit Benedictus Arias Montanus, quasi in textu sit, Schear cum Kametz, interim tamen hæc versio in sensum non impingit. Videt igitur Responsum juris, falsum esse, quando dicit nil minus in textu legi. Propinquitas sunt, hoc legitur in textu v.17. Et caro tua sunt, vel caro carnis sunt, legitur in textu v 6. hi termini æquipollentes sunt, & sic textus textum exponit. Cæterùm, quando Responsum addit numero 377. verba hæc non posse aliter accipi, nisi quod privigni aut privignæ filia non sit proxima vitrici, sed ejus, videlicet matris suæ. Respondeo, qui Grammaticam Hebræam in limine salutavit & in eâ affixorum doctrinam intelligit, facilè videt, non extare in allegato versiculo 17. affixum (ejus) in fæminino, ut exponi postulet ejus, nimirum matris. Tremellius etiam hîc non favet Responso juris Addit enim ad hunc versiculum, tanta est affinitatis vis ex lege Dei, Ergo innuit, non loqui Mosen hoc loco, de matris & privigni filiæ consanguinitate, quippe quæ non potest dici affinitas, quod Responsum juris, planè non legit, dum Tremellium allegat. Propinquitas sunt, dicit textus, & nil præterea. Cadit ergo, quod hîc in textu nunquam stetit, sed textui affingitur. Deinde hic versiculus loquitur, de vitrico & privignæ filiâ, tanquam de personis, quæ matrimonium contrahere prohibentur, sicuti fit in aliis versiculis præcedentibus, quæ mentionem faciunt personarum, quæ conjungi non debent Inter matrem autem & privigni aut privignæ filiam, non potest esse conjugium per naturam. Ergo de harum propinquitate hîc non agitur. Irrisui

 esset

esset, quod hoc adsereret. Sed de iis agitur personis quæ possunt (זמה Semmah) scelus committere, quando contra prohibitionem hujus versiculi contrahunt. At hoc non potest mater facere, quæ non potest privignam, ejusque filiam ducere, nisi in marem mutetur mirâ metamorphosi, sed facile faceret vitricus, si privignam duceret, aut grivigni privignæve filiam, quod è textu, sole meridiano clariùs elucet. Sequitur igitur contra Responsum juris, quod nimia sit propinquitas, sive caro carnis ex v 6. in hoc casu inter vitricum & fœminas nominatas, quæ si neglectui sit, illico scelus & grande peccatum inducat. illa autem propinquitas, quamvis non oriatur ex consanguinitate, quod homo sanæ mentis non dixerit, tamen nascitur ex affinitate, ita, ut caro carnis, sive propinquitas in v. 6. tanquam genus, sub se complectatur specialem propinquitatem, utramque tàm ex consanguinitate ortam quàm specialem propinquitatem, ex affinitate enatam; quemadmodum genus suas sub se complectitur species, & nullam excludit. Tantum de iis numeris Responsi juris, ad quas considerandas, me satis ironicè remittebat Assertio. Hic ansam quærendi haberem, an mera & inania verba, uti dicebat illa, hîc reposuerim? Erudito lectori, lubens committo judicium. Nunc ad adsertionem redibo, quæ (2.) scire vult, quid responsurus sim ad absurdum, quod ex fictâ meâ carne carnis proficiscatur, quando statuo, quod soror uxoris sit caro carnis sororio. Hoc enim posito sequi ait Assertio, quod duo fratres non possint ducere duas sorores extraneas, quod tamen Gamologia mea concedat, quo conceso, habebunt carnem carnis suæ, quod sit absonum Cæterùm, prænominata Assertio, hanc rem illustrat hoc exemplo.

Titius,	Cajus,
Sempronius, Sejus,	Sibylla, Ursula.

Et pergit ita colligere (1.) Sempronius, qui Sibyllam duxit, cum eâ una est caro. (2.) Sejus, qui Ursulam duxit, cum ea est una caro (3.) Sibylla & Ursula sorores sunt una caro (4.) Ursula est caro carnis Sempronii (5.) Sempronius & Sejus fratres sunt una caro. Ergo Ursula est etiam caro carnis Seji, & viceversa &c. Ita nec inter Sempronium & Sibyllam, nec inter Sejum & Ursulam, quamvis inter se nullo sanguinis gradu verè conjunctos, ex absurdâ consequentiâ

tiis carnis fictæ potest consistere matrimonium. Respondeo. Hæc collectio, quemadmodum mirè, & extra Logicæ liras, ab uno ad aliud quinquies transcurrit, & multos terminos variè connectit, planè nihil ad rem facit. Tantum abest, ut tertium argumentum ab una carne desumptum, impediat matrimonium inter duos fratres, & duas sorores extraneas, ut etiam illud stabiliat. Vide sis utrumque.

De quibus verè dicitur, quod non sint una caro, hi matrimonium contrahere potuerunt. Subsumo.

Atqui, de Sempronio & Sibylla, de Seio, & Ursula verè dicitur quod non sint una caro.

E. Sempronius & Sibylla, Sejus & Ursula matrimonium contrahere possunt.

Porro, de membro primo & secundo nulla est lis, Simpronius enim & Sibylla conjuges sunt. Ergo una caro sunt, per textum Gen. c. II. v. 24 nec de quarto, contentionis serra potest reciprocari, scilicet, quod Ursula, sit caro carnis, Sempronii. Erat enim Ursula caro carnis, hoc est proxima propinqua sororis suæ Sibyllæ in consanguinitate. Sed Sempronius duxit Sibyllam, & cum ea factus est una caro. Ergo Sempronius quoque habet שאר carnem carnis, seu propinquitatem, sive valde propinquam in conjugis suæ proximis agnatis, nimirum hic, in uxoris suæ sorore Ursulâ, propter quam propinquitatem uxoxoris suæ Sibyllæ, altera soror Ursula, ipsi prohibita est Levit. c. XVIII. v. 18. Et mulierem (Sororem) ad sororem ejus non accipies. Additurque ratio â Mose Levit. c. XVIII. v. 6. quia est שאר בשרו caro carnis ejus, hoc est, proxima carnis ejus, nimis ei propinqua: Tertium autem & quintum membrum illationis hoc erat. Sempronius & Sejus fratres sunt una caro. Sibylla & Ursula sorores sunt una caro. Ex his colligitur. Ergo Ursula est etiam caro carnis Seji. Hæ propositiones, tertia & quinta, crassè impingunt. Quia una caro, de qua Gen. c. II. v. 24. legimus, oritur ex consuetudine conjugali, de qua I. ad. Cor. c. VII. v. 3. & 5 quæque ex individuâ vitæ societate, I. ad Cor. c. VII. v. 10. & unito affectu communi, Eph. c. V. v. 25. v. 31. pullulat. Huc tendit illud דבק Davak. Gen. cap. II. v. 24. vir adhærebit uxori, cujus emphasis patet ex Ruth. c. II. v. 23. 2. Sam. c. XX, v. 2. Psalm. LXII, v. 9 Septuaginta Interpretes vertunt προσκολληθήσεται) adglutinabitur, Et notandum quod citatus textus Gen. c. II. v. 24.

tria ponat (1.) Vir relinquet patrem ac matrem, quia amor conjugalis superabit amorem naturalem inter parentes & liberos. (2.) Vir adhærebit uxori (3.) Erunt una caro, ficut litera (ל) Lamed ita accipitur Gen. c. II. v. 22. & in aliis locis. Ita posterius, semper hic est ἐξηγητικὸν prioris. Hæc carnalis copula cum cœteris, propter quam maritus & uxor una caro appellantur, statim carnis reliquias, vel carnem carnis, sive arctissimam affinitatis propinquitatem figit & efficit, in proximis cognatis conjugis. Verùm hæc una caro non est illa, quam illatio ponit inter Sempronium & Sejum fratres, inter Sibyllam & Ursulam sorores, ostendam hoc ad oculum, omnis illa una caro, de qua Mose loquitur Gen. c. II. v. 14. præsupponit consuetudinem conjugalem & matrimonium. Atqui inter fratres & sorores, inter consanguineos illos, de quibus legimus Gen. c XX X.v.24. Os meum & caro mea es. &c. c. XXXVII. v. 27. Caro nostra est. Vide Levit. c. XXI. v. 2. Num. c. XXVII. v. 8. 2. Sam. c. XIX. v 13. Non ponitur conjugalis consuetudo & matrimonium. Duos enim fratres Sempronium & Sejum, duas item sorores, Sibyllam & Ursulam matrimonium inter se contrahere velle, vel ipsi Catoni risum extorqueret in Saturnalibus. Impossibile illud est per naturam. E. Sempronius & Sejus, Sibylla & Ursula non sunt una caro Gen c. II. v. 24. quod tàm falsum est, quàm illud, quod duo fratres sint conjuges, quod duæ sorores sint conjuges. Assertio igitur pessime confundit diversas scripturæ phrases, sunt una caro; & sunt mea caro, sunt nostra caro, os & sanguis. Frater Josephi non dicit, nos fratres & Josephus una sumus caro. Laban non dicit: Ego & Jacob sumus una caro. Sed tu Jacobe es caro mea & os meum. Profectò, magna hæc est differentia, quam quilibet videt, qui videre potest Sic rectè colligo. Una caro, de qua Gen. c. II. v. 14. agitur efficit affinitatem. At caro mea, caro nostra inter fratres & sorores non efficit affinitatem. Ergo hæc non est illa, & retrò. Falsissima igitur est utraque collectio. Sempronius & Sejus fratres sunt una caro; Sibylla & Ursula sunt una caro, E Ursula est caro carnis Seji: Ridiculum hoc esse dicitur, & rectè quidem; quando hæc conclusio ex falso principio, quod Sempronius & Sejus sint una caro, deducitur. Ursula est ex alia familia, nulla omnino est caro, sive cognatio inter illos fratres,

& has sorores. Atqui ejusdem furfuris est illud. Ursula & Sibylla sorores sunt una caro, quod iterum falsum est. Ergo Sibylla est caro carnis Sempronii. Nulla enim hic est caro, nulla proximitas. Ex falso hoc præsupposito. Interim verum est, quod Sempronius & Sibylla, Sejus & Ursula sint una caro, quia sunt conjuges. Sed quæso, quomodo tandem probatur, ex mea assertione sequi, duos fratres in matrimonio habentes duas sorores, habere carnem carnis suæ? Cum nulla caro, aut propinquitas ab Assertione mihi opposita ex meis præsuppositis hic sit ostensa. Illa præsupposita, quæ Assertio recenset, non sunt mea, nunquam fuerunt, mea, imò ex asse ista impugno, nimirum, sequentia: Sibylla & Ursula sunt una caro. Falsum! Sempronius & Sejus sunt una caro. Falsum. Ursula est caro carnis Seji, Sibylla est caro carnis Sempronii. Falsa! Interim rectè colligitur, per terminos hos biblicos, caro, & caro carnis, non meos sed Mosaicos, in scriptura usurpatos, quod ex citatis jam ante locis dispalescit, sed hoc modo Sempronius, qui in matrimonio habuit Sibyllam, non potest postea ducere Ursulam Sibyllæ sororem, quippe, quæ est caro carnis ejus, uti loquitur Moses, istud est, nimis Sempronio propinqua est, propter affinitatem, ex primo matrimonio & retectione resultantem, & sic ei prohibita est expressis verbis Levit. c. XVIII, & v. 18. ob eandem propinquitatem Sejus quoque post obitum Sempronii & Ursulæ, non potest ducere Sibyllam, nec Sibylla post obitum Ursulæ potest nubere Sejo. Quod prohibitum est propter eandem carnem carnis, sive nimiam in affinitate propinquitatem. Sic Sorori Ursulæ, etiam ex Levit c. XVIII. v. 16. subolere debet, quod Sempronius sit nuditas sororis ejus, cui Sempronio si nuberet tanquam sororio suo, actutum Niddach, vel abominationem eniteretur, quod suprà demonstratum dedi. Sic in altero Exemplo; quod mihi opponebatur. Neminem posse ducere uxoris suæ defunctæ fratris viduam, stante illâ phrasi Mosaicâ de carne carnis, quod tamen matrimonium â quibusdam Theologis & Jurisconsultis concessum fuisse, ipse asseram; Idque dic. posit. 2. Sed nescio qui factum, quod hic locus in Gamologiâ meâ ita citetur, ut nemo illum facile invenerit, etiamsi vulcanum in cornu gerat. Extant hæc in Gamol. Lib. 2. Tit. 6. Problem. 5. pag. 472, ubi dico, hoc aliquando concessum fuisse VVittebergæ; sed matrimonium istud improbo loco laudato, cum

D. Mentze-

D. Mentzero. D. Majore. D. Gerhardo. D. Brocmanno cum Jurisconsultis Alberico Gentile, D. Carpzovio. D. Bechstadio, propter rationes Herculeas, quas statim affibulo, quod tamen assertio fraudulenter tegit & supprimit. (3.) contra fictas illas carnium carnes, disputare dicitur Responsum Juris, quod Assertio hic mihi opponit numero 379. & seq. Respondeo. Numero citato dicit Responsum Juris quod uxoris soror non possit dici proxima carnis sorori. At hoc suprà accurratissimè probavi, quod eadem proximitas sit inter sororium & defunctæ uxoris sororem, quæ est inter fratrem & demortui fratris viduam, propter quam propinquitatem ex primo conjugio natam, utrumque matrimonium prohibitum est. Levit. c. XVIII. v. 16. & v. 18. Eodem numero dicitur in Responso Juris maritum & uxorem vocari unam carnem, vel, qui erunt in carnem unam, per fictionem Juris. Hoc nego, & rectè nego, quod patebit ex illis quæ suprà deduxi plenius è Scripturâ Sacrâ. Imò ex ipso Juris Responso negantem meam nunc probabo. Nam Num. 386. dicitur. Maritus & uxor sunt in carne unâ, id est, sunt in unâ carnali operatione, ad unam carnem propagandam. Nam ex commixtione seminum Viri & uxoris, gignitur una proles, una caro. Bene! Sed illa operatio carnalis, illa commixtio seminum, illa unius sive carnis, sive prolis procreatio, non est nuda fictio Juris. Nec illa affinitas inter uxorem & proximos consanguineos viri & contrà, in conceptibus formalibus sub piâ matre natis, & in crudâ fictione Juris pedem figit, de qua loquitur Responsum. n. 390. Nam affinitas illa parit severissimas prohibitiones, in Levitico, c. XVIII. profectò illa prohibitio, quæ dum negligitur in matrimonio contrahendo aut contracto, actutum parit Niddah, istud est abominationem, quæ parturit Simmah, hoc est, Scelus, illa absque omni dubio præsupponit carnem carnis, quemadmodum Mosè loquitur, hoc est, nimiam propinquitatem, & quidem realissimam, quæ matrimonium inter nonnullas personas tali affinitate aut propinquitate illigatas, severè prohibet & damnat, quo planè probatur eam in nuda jurisdictione non consistere. Tandem concluditur in assertione: *Speramus itaque autorem hunc carnis carnium errorem correcturum, & ex eo deductum argumentum abjecturum.* Verum enimverò non audeo corrigere, quod Spiritus Sanctus per Mosen prolocutus est. Levit. c. XVIII. v. 6.

Nemo

Nemo homo ad ullam carnem carnis suæ שְׁאֵר בְּשָׂרוֹ accedito te ad retegendum nuditatem; ego Jehovah. Quibus verbis illa ex consanguinitate & affinitate nata notatur propinquitas, quæ matrimonia nonnulla prohibet. Videantur etiam Textus paulò ante citati, qui hanc phrasin usurpant; Ex hâc propinquitate deducuntur etiam omnia argumenta, & fundamenta omnium prohibitionum in Levit. c XVIII. imo hæc argumenta ex nimia propinquitate, tàm ex affinitate, quàm ex consanguinitate orta, à celeberrimis Theologis ac JCtis, in publicis scriptis recensentur, inculcantur, & centies repetuntur. Ob hanc propinquitatem æque sororio prohibita est uxoris soror v. 18. ac fratria mariti defuncti fratri prohibetur v. 16. Tandem membrum primum capitis V. hujus mihi oppositæ adsertionis hoc themate concluditur, quod D. Lutherus Anno M D XXII. matrimonium cum uxoris defunctæ sorore suo calculo comprobaverit, & postea hanc suam sententiam non revocaverit. Brevis hic ero, quia non est res magni momenti. Dicit igitur assertio. Me statuere, Lutherum olim haustam suam opinionem postea correxisse, quod duobus argumentis probem (1) Quia JCtus Monnerus hoc testetur. Egregia, inquit, probatio. Monnerus dixit, Ergo verum est. Si adversarius doceret, Monnerum id, quid dixit probâsse, tum aliquid eliceret ad Rhombum. Revocationem Lutheri esse rem facti. Ergò dilucidè probandam esse, quod nemo facit, nec ex scriptis Lutheri facere potest. Respondeo D. Monnerus dixit, ergo verum est. Hoc nemo reperiet in Gamologiâ meâ, & pono, si ita scripsissem, quod tamen factum non est, non magnoperè aberrassem. Quilibet enim censetur bonus, donec contrarium probetur. Assertio autem nondum probavit, quod D. Monnerus falsum dixerit Nec tantum hæreo in solius D. Monneri &c. testimonio, sed fundamentum addo, quod assertio vocat alterum meum argumentum, nimirum quod Lutherus Anno M. D. XXX. matrimonium cum uxore patrui improbet, in literis ad Spalatinum. Si ergo improbat in affinitate gradum secundum lineæ inæqualis, quidni improbet gradum primum lineæ æqualis inter sororium, & uxoris sororem in affinitate, quia hic gradus propinquior est, ille remotior. Regerit Assertio. Satis ad hoc responsum esse in Responso Juris num. 487. Hoc autem loco

lego, quod Autor Responsi Juris celeberrimum D. Gerhardum refutare conatur, qui eodem argumento usus est. Illud matrimonium, inquit, cum uxore patrui expressis verbis esse prohibitum, conjugium autem inter sororium & uxoris, sororem non esse prohibitum. Sed hoc falsissimum esse, ex perspicuis verbis Levit. c. XVIII. v. 18. suprà aliquoties inculcavi.

Item, mulierem ad sororem ejus non accipies Athnah!
Hic exstat luculenter prohibitio, quæ his verbis concluditur & à sequente ratione exaggerante resecatur & distinguitur. Nihil ergo hic responsum est à responso juris ad rem, ad Rhombum. Et sic nihil D. Gerhardo, & tantundum mihi reponit. Cœterum, addiderat Dn. D. Gerhardus rescriptum consistorii VVittebergensis, quod etiam in colloquiis mensalibus exstat. In casu, da ein Bauersmann seines verstorbenen Weibes rechte leibliche Schwester geschwängert/ und folgendes zur Ehe genommen. Respondetur consensu & suffragio Theologorum, & sic ipsius Lutheri. So berichten Wir/ als die geistlichen Richter/ nachgehabten Rathe der H. Theologen/ daß die Ehe in diesem Falle nicht zuläßig noch zu dulden. Et Paulo pòst, weil der Pfarherr die Ehe in solchen verbotenen Grad gerathen und nachgelassen/ mit Straffe des Kerckers zu belegen. Quid hic respondet Responsum Juris? Dicit numero 490 si extet tale Rescriptum, ex eo tamen non colligi revocationem, nec colligi, hoc matrimonium, in Jure divino esse prohibitum. Respondeo. Hic respondere planè nihil. Nisi enim Rescriptum istis verbis daß diese Ehe in solchem verbotenen Grad sey zugelassen/ non intellexisset gradum in lege divinâ prohibitum, non ita judicâsset. diese Ehe sey NB. gar nicht zuläßig/noch zu dulden und sollen die Personen von einander gesetzet werden ut habent verba Rescripti. Quis non videt, judices ideò conclusisse separationem, rupturam nec de dispensatione ullum addidisse verbum, ideò, quia in legem divinam impegerat dictitium hoc matrimonium. Tantum ad Responsiones Responsi juris, ad quas remittebar. Sed præterea dicebat adsertio. Revocationem Lutheri non posse probari ex scriptis ejus. Respondeo. Probata est ex scriptis Lutheri literis ad Spalatinum, & ex hoc Rescripto VVittebergensi. Et meminerit adsertio, quod Lutherus omnia ac singula revocata non uni peculiari libro inseruerit, & ordine recensuerit. Nutat ergò consequentia.

Ex libris his, istis Lutheri hoc non probatur. Ergò nullo modo probatur. At placet &c. mihi adsertio num. 42. ubi dicitur, &: quid tandem si Lutherus hanc opinionem revocâsset, nunquid ipsi fides statim in eo esset habenda, si revocatam opinionem ex verbo Dei non demonstrâsset? Bene! Hic autori adsertionis vetus sententia Lutheri jam inutilis est, ad quam frustrà provocat; quippe, quæ ex verbo Dei demonstrari non potuit. Mihi autem correcta sententia Lutheri utilissima est, quia cum expressa prohibitone divina amicè conspirat, & Domino opponenti adversatur, qui suam sententiam ex verbo Dei demonstrare non potest, non potuit, & non poterit, sed tàm ipsi hoc impossibile futurum erit, ac digito suo annulari attingere supremùm cœli laquear.

CAPUT III.

In quo consideratur capitis quinti membrum II. Adsertionis mihi opposita, quod confutationem meam examinare conatur.

Adsertio.

ADsertionis verba omnia & singula hactenus præmisi, in iis autem quæ sequuntur hoc capite, non semper opus est tanto labore. Quamobrem liberior hîc ero, & numeros Adsertionis ordine sequar, prout in margine adscripti sunt. Numerus 1. nil contra me machinatur. Ergo prætereo ejus verba. Num. 2. ad Num. 6. sic lego. *Primò improbat nostram Adsertionem, matrimonium hoc non esse prohibitum in lege divina, ex hâc ratione, quod illis prohibitio non inveniatur in Lege Mosis, quippe, cujus Scriptura tantùm probet, quantum loquitur & non ultrà, nec plusquàm in ea corporis oculis legi potest, quodq; tenor ejus demonstrat. Hanc nostram Adsertionem vacillare putat ex eo, quod quadam in S. Scriptura legi non possint, & tamen exinde per verum sensum & necessariam consequentiam eruantur, quæ non nimis pro firmis sint habenda, ac ea quæ litera ipsa externa proponit. Rem his exemplis declarare voluit: Jesum Nazarenum esse Messiam. Omnes homines peccato originali contaminatos esse. In una essentia divina, tres distinctas personas esse, nullibi extare in S. Scriptura, ita ut oculis corporeis legi possit. Et tamen sensu & consequentiâ ibi extare. Multa in Scriptura expresse, alia analogicè,*

logicè, quædam explicitè, nonnulla implicitè, quædam γενικῶς, quædam εἰδικῶς, quædam αὐτολεξεὶ, quædam κατὰ πρᾶγμα contineri. Verum istâ informatione non erat opus ad negotium nostrum planè incommoda & inapplicabili. Nec enim uspiam dictum à nobis est, ex Sacrâ Scriptura nihil probari posse, nisi quod sensus monstrat literalis. Sed negavimus dari ullum in jure divino textum, unde vel per literam, vel per rectam consequentiam probari possit. Prohibitio matrimonii cum defunctæ uxoris sorore.

Consideratio.

ORdine progrediar (1.) Si placet Lectori, discursum meum legere, Gamol: pap. 411. 412. videbit, quod adsertio mihi opposita, suo lubitu libet, legat & alleget, quod placet, & rursus omittat, quod ipsi non est ad palatum. Omittit quæ ex Nazianzeno adducta sunt, quæ ex Joh. c. V. v. 39. v. 48. Matt. c. 21. v. 16. Psalm. 8. v. 16. Matt. 22. v. 32. Exod. c. 3. v. 16. colliguntur &c. contra colloquium Durlacense, Hectorem, Pinutum, Huntlæum & Bellarminum, sed transeant (2.) Responsum juris affirmat, matrimonium cum defunctæ uxoris sorore, non prohiberi in lege divinâ, ex hâc ratione, quia hæc prohibitio non legatur ibidem oculis corporeis. Tantum, inquit, probat Scriptura, quantum loquitur, quod in S. Scriptura oculis corporis cerni non potest, id in eâ non extat. Sed, nihil horum veritati litat, quod abundè probavi, quodque nullo verbo refutari potuit, nisi quòd dicitur haut opus fuisse illâ informatione. Atqui necessariò monendum erat, planè falsum esse, quod in Scriptura oculis corporeis legi non potest, id non extare in scriptura. Apage! Additur, non applicari hoc posse ad nostram quæstionem, de matrimonio cum defunctæ uxoris sorore. Sed assertio hoc modo refutat se ipsam, quando falsam hanc thesin urget, & applicat quæstioni nostræ. Non legi in lege Mosaica corporeis oculis, defunctæ uxoris sororem sororio simpliciter prohiberi. Ergo non extat in Scriptura, nec per literam, vel rectam consequentiam ex eâ probari potest. Sic quivis videt, quod assertio ipsa, id quod malè asseruit, ex professo quæstioni applicet. Ergo hic nil applico, sed applicationem refuto. En prohibitionem literaliter!

Et mulierem ad sororem ejus non assumito. Pausa!

Ratio

Ratio quoque illa, quam Reſponſum Juris affert, nimirum, quod in Scriptura oculis corporeis cerni non poteſt, id in eâ non extat, ut jam jam dixi, falſiſſima eſt, quod Studioſi Theologiæ ad unguem nôrunt. Ad oculum hoc oſtendi ex Joh. c. V. v.39. 45. Thema erat. Jeſus Nazarenus eſt promiſſus mundi Meſſias. Judæi hanc Theſin negabant, Chriſtus affirmabat, eosque remittebat ad Scripturam, ad libros Moſis, ex quibus hoc probari poſſe affirmat. Scripturæ teſtificantur de me, Moſes de me ſcripſit, & ſic theſis controverſa extat in Scriptura ex mente Salvatoris. At, juxta Reſponſum juris hoc thema non extat in Scriptura, non extat in libris Moſis, quia corporeis oculis nullibi hæc theſis legi poteſt in Scriptura. Sic mihi Reſponſum juris nullibi in Scriptura oſtendet verba hæc corporeis oculis lecta. In una eſſentia divina, tres ſunt diſtinctæ perſonæ. Quia autem hæc theſis corporeis oculis nullibi legitur in Scriptura. Ergo juxta Reſponſum juris hæc theſis non extat in Scriptura. Abſurda omnia. (4.) Pergit adſertio, ſe hoc intendere, nullum extare in Moſe textum, unde vel per literam, vel rectam conſequentiam probari poſſit, prohibitio matrimonii cum defunctæ uxoris ſorore. Reſpondeo. De corporeis oculis loquitur reſponſum juris. Tentet igitur, an hoc legi poſſit corporeis oculis Levit. c. XVIII. v.18. in authentico textu Heberino.

Et mulierem ad ſororem ejus non aſſumito. Athnah!

Qui negat, ſolem negat in meridie. Qui Pauſam Athnach. hactenus nondum obſervavit in textu Hebræo, obſervet illam nunc corporeis oculis, habet enim figuram ſatis notabilem. Et ſic prohibitio matrimonii cum uxoris ſorore, in lege Moſaica, corporeis oculis legenda & lecta extat, & per literam probatur. Probatur etiam è textu per conſequentiam, quod ſuprà, capite primo oſtendi; quodquè malè negatur ab adſertione.

Aſſertio à n.6. ad n.16. incluſive.

Quæ ſequuntur Num. 6. ad n. 16. incluſivè, non indigent accuratiori Anatome. Differunt enim de priori themate, nimirum, prohibitionem matrimonii cum uxoris defunctæ ſorore, ex nullo textu divino, vel per literam, vel per rectam conſequentiam, probari poſſe, cujus falſitatem ipſe textus Levit. c.XVIII. v.18. lectus

& distinctus luculentè ostendit. Assertio autem contrariam sententiam per notissimas regulas & Brocardica juris probare aggreditur, ut evincat hoc thema. Quod in Scriptura oculis corporeis cerni non potest, id in ea non extat. Sed hoc est cataptasma Jesuiticum, etiam â Bellarmino allatum *lib. 1. de Matrim. Sacrament.* § *Sed contra* c. 27. pag 1503. Edition: Lugdun. per pillehotte. Respondeo. Regulæ juris & Brocardicum illud, quod odiosa sint restringenda, quibus odiosis accensentur leges prohibentes, quæ non sint laxandæ, ut loquitur Bellarminus, hæc ut locum forsan habent in legibus humanis, sic in Scripturæ interpretatione, nobis nullo modo præscribunt regulas, quippe, quæ ex ipsa Sacra Scriptura depromuntur, non autem ex jure humano. Absurdum enim est, divina Mysteria, eorumque expositionem accuratam, humani juris decempedâ mensurare velle. Magna autem hæc est *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*. Magnus Icari volatus, ab humi nascentibus fragis, ad summa illa transcendentia. Et applicatio Brocardici juris, ad sensum principii primi *ἀναποδείκτου καὶ ἰδιοπίστου*, nimis mira est & misera. Prætereo hâc vice multos textus Propheticos, & allego duntaxat aliquos versiculos *ex Matt. c. V. v. 21. & v. 22. Audistis, quod dictum sit veteribus, Non occides, quisquis autem occiderit, obnoxius erit judicio: Quicunq; vero dixerit Fatue, obnoxius erit Gehennæ incendio.* Et paulo post: *v. 27. 28. Audistis, quod dictum fuerit antiquis, non committes adulterium. At ego dico vobis quod quicunq; aspexerit uxorem ad concupiscendum eam, jam adulterium cum ea commisit in corde suo.* Hæc Christi expositio quinti & sexti præcepti, apertè impingit in Brocardicum juris, quod nemo inficias ire poterit. Ergo Salvator noster juxta assertionem mihi oppositam, male interpretatur leges illas prohibentes. Nuspiam enim in Mose legitur, qui fratri irascitur obnoxius erit judicio. Qui ad concupiscendum aspexit mulierem, in corde commisit adulterium. Nulla de his litera extat. Restringi igitur, non autem ampliari debuissent illa, quæ corporeis oculis in Mose non leguntur. Pulchrè! Non capto igitur verba, ut assertio dicit, sed ad argumenta solide respondeo. Numerus 12 textum monstrari vult, qui prohibet matrimonium cum defunctæ uxoris sorore. Sed illum vel tricies ostendi ex Levit. c. XVIII. v. 18. Numero 15. mihi affingitur illatio â dissimilibus

bus, quasi sic concludam. Articuli isti fidei per consequentiam ex Scriptura probantur. Ergo etiam hujus matrimonii prohibitio. Nunquam autem talis illatio mihi in mentem venit. Tantum ostendo, articulos aliquot religionis Christianæ, qui quoad verba, quæ corporeis oculis legi queant, non extant in Scriptura, ut destruam falsam illam hypothesin. *Quod in Scriptura oculis corporeis cerni non potest, id in ea non extat.* Refuto tantum, nullibi autem illud infero, quod mihi malè affricat Adsertio. Ostendere mihi debuisset paginam, locum, caput, paragraphum; Sed hic silentium est, plus quam pythagoricum. Probavi matrimonii controversi prohibitionem claris verbis. Probavi eam per consequentias, sed longè alias, suprà cap. 1. si adsertio illationem illam, quam mihi allinit, ex toto illo capite ostenderit pulcherrimam Phyllida habebit cum Bonefonii Pancharide. Verum.

Non obtusa adeò gestamus pectora Pœni!

Assertio à n. 17. ad n. 27. inclusivè.

NUm. 17. Verba illa, ihr zu wider weil sie noch lebet/non sunt frustrà posita. Concessi. Sed dico non sequi. Ergo hoc sensu sunt posita, ut tuto sic colligere liceat. Non duces uxoris suæ sororem ne exacerbetur; Ergo ducere eam tibi licebit si amplius exacerbari non potest, nimirum, cum nulla amplius ei salit arteria. Non duces tuæ uxoris sororem, dum uxor tua in vivis est Ergo licebit tibi eam ducere, cum mortua est. Assertio regerit. *Ista Argumentatio non est nostra. Cur verò hoc non sequitur? Quod propter vitam uxoris est prohibitum, id propter ejus mortem, eo ipso non est prohibitum: Quod non prohibitum, id censetur concessum.* Respondeo. Assertio audet dicere. Hæc argumentatio non est nostra. Et tamen non ostendit aliam argumentationem, nec aliud quid, quod voluerit, tandem colligere ex verbis allegatis. Ihr zu wider weil sie noch lebet. Statim autem vertit velum, & dicit, *cur verò hoc non sequitur?* (Scilicet uxoris sororem ducere) propter vitam uxoris est prohibitum. Ergo id, (scilicet uxoris sororem ducere,) propter ejus mortem non est prohibitum. Sed idem argumentum est, sive illis verbis jam citatis efferatur, sive his verbis proponatur. Non licet sororem uxoris ducere, dum uxor vivit. Ergo licet ducere sororem ejus, quando vivere desiit, vel,

illâ

illâ amplius non vivente, quibus verbis utitur Assertio Num. 29. 30. Quod tam perspicuum est, eandem utrobique proponi argumentationem â contrario sensu, licet verba sint diversa, ut ne quidem in Logicis hospes illud in dubium vocare queat. Nec ipsa adsertio, nisi verborum suorum Num. 18. Num. 29. 30. velit oblivisci. Ergone idem sensu, re, ac scopo argumentum, est nostrum, & non est nostrum? Profectò, si prius est vestrum, Ergo & posterius est vestrum, quia idem est reipsâ, vel ostendatur, in re aliqua differentia, quæ tamen ostendi nunquam poterit. Cæterum, quando adsertio ita loquitur. *Quod propter vitam uxoris est prohibitum, id propter ejus mortem eo ipso non est prohibitum.* Valde mihi transmarinum videtur, nimirum uxoris sororem ducere, sororio prohibitum esse, propter uxoris vitam, quasi hæc vita sit causa prohibitionis hujus. Tale quid non legi in totâ Scripturâ Sacrâ in hoc rerum genere. Aliam causam lego Levit. XVIII. v. 6. Nullus homo ad ullum propinquum, vel propinquam carnis suæ accedat. Nimia igitur propinquitas causa est genuina omnium ferme prohibitionum in hoc capite, & simul in hoc loco de uxoris sorore non ducenda. Quod autem in allegato capite Levitici est prohibitum, illud non mutatur per mortem in concessum. Cum mors non tollat ullam proximitatem. Propinquitas inter patrem & filium, inter fratrem & sororem, inter sororium, & uxoris defunctæ sororem, qualis fuit in vita, talis manet post mortem. Abel est filius Adami, & Adam Abelis pater, sive alteruter, sive uterque vel vivat, vel moriatur. Quod non est prohibitum inquit Adsertio, id censetur concessum, quod in Responso Juris sit probatum, & contra adversarii argumenta, stet firmis pedibus. Fiat applicatio. • Et mulierem ad sororem non assumito. Athnah! Hic absolutè & universaliter, & sic omni tempore sororio prohibetur uxoris suæ soror. Ergò concessio imaginaria, hic plane amisit suos pedes. Num. 20. *Illatio*, inquit, *Si non exacerbatur uxor, non prohibetur ejus soror duci, non est nostra.* Quidni! Nam assertio urget verba, Ihr zuwider weil sie lebet. Positâ exacerbatione, & vita, prohibetur uxoris soror duci. Remotâ exacerbatione, & vita uxoris conceditur ejus soror duci, per Argumentum â contrario sensu. Hoc utramque facit paginam in Responso Juris, & adsertione quod paulò ante ostendebam ex Num. 18. & 29. 30. Ergo argumentum hoc est argumentum ipsius adsertionis, non autem eo sensu meum; quippe

qui

qui hoc argumentum oppugno. Sequitur Num. 22. *me continuare paradoxa mea, quando Polygamiam ex hoc argumento probari poſſe dico. Me autem modum probandi non monſtrare. Non ſequi. Poteſt ducere ſororem uxoris defunctæ. Ergo poteſt plures uxores ducere ſimul, à baculo ad angulum.* Reſpondeo. Hæc argumentatio in totâ Gamologiâ mea nuſpiam extat, lubens ergo eam remitto ad baculum & angulum ut vapulet & lateat. Quod dicebatur, me modum probandi non oſte[illegible] falſum eſt, oſtendi Gamol.lib.2.tit.5 pag.413. Et eſt illa ipſa [illegible] non alia quam aſſertio, licet non plenè repetit ex Gamologia N. 24. idque hoc loco. Pono Caſum. Detur aliqua ſoror, quæ non adeò caleat, quæque modeſta ſit & placida, ac ſe in eodem thalamo ſororem ferre, poſſe adſerat, qualem reperiri poſſe, ſub ſole, ipſa teſtatur experientia. In tali caſu exacerbatio non inveniet locum. Ergo nec prohibitio limitata, quæ fingitur. Non duces uxoris ſororoem ad laceſſendum eam Ergo, ſi placuerit ſororio, propter exacerbationem tanquam prohibitionis cauſam, in hoc caſu ceſſantem, libertimè alteram ſuperinducet ſororem, dum vivit prior, quæ eo faſto non movetur. Et ſic probatur Polygamia ex ceſſante commentitia prohibitione reſtrictivâ. Nonne hîc oſtendi modum probandi? Sed quid ad hoc aſſertio? Ita reſpondet, ſufficit nobis iſta Dei prohibitio, ſi ea non ſufficit adverſario, hoc nihil ad nos. Verum, hæc reſponſio argumentum planè non attingit. Tandem affibulat, *incertam eſſe, fœminam tàm modeſtam dari, quæ non affligatur tali matrimonio, imò ex præſumtione Juris impoſſibile.* Sed experientia docet contrarium, præſumptio temperamenti algentis ac phlegmatici, ex Medicina forſan vinceret, præſumptionem ex Juriſprudentia. Quid quis ferre poſſit vel non poſſit, temperamentorum & ingeniorum oſtendit diverſitas, non autem nuda ac generalis Præſumptio Juris, quæ in temperamentum & ἰδιοσυγκρασίαν hominis nil habet juris, & ibidem nil emollit, nil exaſperat. Sequitur exemplum Jacobi, N. 26. N. 27. dicitur me criminari Jacobum, pejus culpam ejicere in Labanum. Reſpondeo. Jacobus non fuit ſine peccato. Duo erunt in carnem unam, uti Deus præceperat, non autem tres. Et Laban veterator decepit multoties virum Sanctum, & & ad Polygamiam nequiter eum induxit. Miror adſertionem, quæ hoc carpit,

quod

quod culpam rejiciam in Labanum. Legat igitur Theologus, qui de conjugio scripserunt, & in Genesin commentati sunt, imò legat ipsum textum Biblicum, & videbit, quàm crasse impingat, dum me hic reprehendere audet. Si mei lubitus esset, remitterem ad Patres, sed res nimis est clara & cuivis obvia. Quod addit. Jacobum placuisse Deo & fuisse Polygamum, simulque incestuosum, quæ duo, cum se invicem non patiantur, sequi Jacobum non fuisse incestuosum, aut incestum non esse peccatum. H[illegible] dum falsum, Ergo istud verum, Respondeo. Hic discurs[illegible]it ad quæstionem nostram; an quis defunctæ uxoris sororem ducere, aut si duxerit, bonâ conscientiâ eam retinere possit? Negatur illud propter prohibitionem universalem. Et mulierem ad sororem non accipito. Ex lege hac judicandum, juxta tritum sermone verbum. Non exemplis, sed legibus. Non occides, lex est. Hæc lex damnat exemplum Caini, & literas Davidis, quas Uriæ dabat. Facta & exempla ad legem sunt revocanda, tanquam ad normam. Non autem lex cedere debet exemplis. Probemus furtum, exemplo Israelitarum vasa argentea auferentium. Probemus concubitum cum filiabus exemplo Lothi vino calentis.

Leges autem sinamus ire cubitum, ut suaviter dormiant, cum septem dormitoribus in ultimo septentrione, & egregii erimus disputatores; Exempla Patriarcharum, aberrantium in Biblijs extant, ut caveamus, non ut imitemur; pariunt conclusionem negantem. Non facies idem; non affirmantem, & ad idem se factum accingentem. Et qualis sequela, quam *Adsertio* texuit? Jacob placuit Deo, Ergo non fuit Polygamus, & incestuosus. Jacob Deo placuit, hoc verum est, sed Jacob propter Polygamiam Deo placuit. Hoc falsum est. David placuit Deo, sed propter homicidium & adulterium non placuit Deo, Non ergò confundamus distinguenda.

Adsertio â N. 28. ad N. 37. inclusivè.

NUmero 28 29. 30. negat adsertio, reperiri, Levit. c. XVIII. v. 18. propositionem universaliter negantem quoad personas contrahere prohibitas, non autem quoad contrahendi tempus, quod restringatur ad vitam uxoris. Hinc â sensu contrario conseqeuntia prona. Non duces, uxore virente, Ergò tu potes uxoris sororem

ducere,

ducere, illâ non amplius vivente. Respondeo Universalem negantem, vel vicies ostendi ex textu originali Hebræo.

Item mulierem ad sororem non assumito. Athnah. Nemo uxoris suæ sororem ducet.

לא תקח Lo thikaah. omnino non accipies.

ASsertio concedit esse universalem, quoad personas. Rectè! Ergo sororius nunquam ducet uxoris sororem. Sarorius, & uxoris soror non erunt conjuges. Optime! Nam hæ personæ universaliter contrahere prohibentur; quemadmodum dicebat Assertio. Quod autem respectu temporis universalis esse desinat, propter limitationem illam, non duces, dum uxor vivit. Hæc limitatio in textu, tali cohærentiâ, planè non extat, sed textum violenter perturbat, & ultima verba prælicenter transponit in alienum locum, quod suprà ostendi. Ubi quæro hæc verba tali harmoniâ!

Mulierem ad sororem ejus non assumito in vitâ ejus.

Falsa, luxata, distorta omnia; in nullis Bibliis Hebræis unquam visa! Ergo limitatio quoad tempus, èst cerebri humani mutantis spuma, quod nobilis pausa Athnah evincit. Aliud est absolutum, *Non accipies uxoris sororem.* Quod biblicum est, & revelatum divinum. Aliud est restrictum. *Non accipies uxoris sororoem dum vivit*, quod est cerebri commentum, ex transpositione verborum audacissimâ proseminatum. Cœterùm, nondum plene intelligo, an sibi constet, qui prohibitionem hanc facit universalem, quoad personas contrahere prohibitas; & simul negat universalitatem respectu temporis contrahendi. Facilis crediderim, quòd universalitas respiciens personas sibi invicem purè prohibitas, hoc in loco tollat limitationem temporis, & quòd limitatio respectu temporis, vicissim tollat universalitatem, quoad personas contrahere prohibitas ab ipsa Adsertione jam ante concessam. Exemplo res erit clarior. Frater & soror sunt personæ universaliter contrahere prohibitæ. Hoc conceditur utrinq;, sed addo, hanc prohibitionem esse limitatam, quoad tempus. Videbis, hæc adversis concurrere frontibus. Si personæ hæ, sunt personæ universaliter contrahere prohibitæ. Ergo nunquam contrahent. Et si aliquando contrahere possunt, non sunt personæ universaliter contrahere prohibitæ. Concilia!

Num. 31. dicit Adſertio, me mutare prohibitiones, nimirum, *propoſitionem Dei limitatam & reſtrictam. Non debes ducere ſororem uxoris, hâc vivente*; in abſolutam & puram. Et mulierem ad ſororem ejus ne aſſumito. Athnah: Pauſa! Reſpondeo. Ego propoſitionem limitatam in cerebro humano confictam, muto in biblicam, à Spiritu Sancto hâc facie nobis relictam, idque juxta Deut. *c. IV. v. 2. & c. XII.* in fine. Quæ ſequuntur num. 32. num. 33. unâ reſponſione jugulabo. Non Entis, nullas eſſe qualitates poſitivas. In textu enim non reperiuntur, duæ propoſitiones & prohibitiones, ſed unâ tantum univerſalis, quæ prohibet, & ſic negat. Ergo frivola & aliena ſunt omnia, quæ de pugnâ duarum enunciationum in Adſertione hoc loco dicuntur.

Num. 34. & ſeqq. reprehenditur hoc, quod in Gamologia ſcripſi. Deus idem non prohibet & ſimul concedit, hinc aliàs colligeretur ejus mutabilitas. Si prohibet, profectò malum illud eſt, quod prohibet. Si concedit, bonum eſt, quod concedit. Si idem prohibet & concedit. Sic idem bonum & malum eſt, quod ſimul prohibuit & conceſſit. Adſertio reſpondet *falſiſſimum hoc eſſe*. Sed quod dixit, ſic non oſtendit, abdit ſe ſtatim in vepreta Reſponſi Juris in genere, ita ut nullus numerus aut locus citetur, ubi hoc inveniri poſſit, quod dicit. Tranſeant igitur, quæ ſciri non debent. Porrò num. 36. opponit matrimonium cum fratris viduâ. Sic *fratria*, inquit, *prohibetur & conceditur fratri*. Reſpondeo. Non idem hic prohibetur & conceditur, alius eſt caſus, & quidem unicus, in quo conceditur hoc matrimonium, ſimul enaſcitur alius reſpectus, ſcopus & circumſtantiæ, quæ claram enituntur exceptionem à generali regulâ, quod nôrunt omnes, qui illos text⁹ legerunt. Oſtendi debuiſſet exemplum, quod Deus idem ſimul prohibuerit & conceſſerit, idem quoad rem, reſpectum, quoad tempus & omnes circumſtantias Hoc non elicitur ex tali prohibitione, quæ luculentam exceptionem ponit, in caſu alio, clarè nominato, excepto, ſcopo, & circumſtantiis novis verbotenus expreſſis, nimirum, quando frater ſine liberis moritur &c.

Adſertio à Num. 38. ad num. 44.

Num 38. mirè involvit ea. Quæ ſcripſi Gamol. l. 2. pag. 11. & p. 12. ſatis diſtinctè & ſolidè, quo lectorem remitto. Interim Adſertio

hic

hic accusat me principiū petam, dum non probem, quòd prohibitionem Lev. c. *XVIII. v.18.* γενικῶς esse factam, vel quod idem est, uxoris sororem sororio universaliter prohiberi. Miror,& jure miror, non melius intelligi stylum Biblicum. Utitur Spiritus Sanctus secundâ personâ, in omnibus fermè versiculis prohibentibus. Exempli gratiâ v.7. Nuditatem patris tui,aut nuditatem matris tuę ne retegito. Et v. 8. Nuditatem novercæ tuæ ne retegito. Dicat mihi Adsertio, Non retegito. Tu non debes retegere, nonne universalem semper parit negantem. Nulla filia reteget patris nuditatem. Nullus filius reteget matris nuditatem. Nemo ducat novercam suam, quod nimis perspicuum est & vers. 6. omnium prohibitionum scaturigine. Nemo homo ad ullum propinquum vel propinquam carnis suæ acceditote. Qui oculos habet, vel eminùs luculentam videbit universalitatem, quæ claris verbis quoque v. 18. concepta est לא תקח Lo tikkach, Tu non accipies sororem uxoris. Tu sororie hoc non facies. Nullus sororius hoc faciet. Nemo homo ad nimis propinquam accedet. Et quæso, quo jure mihi petitionem principii affibulare Adsertio potest, cum ipsa Adsertio concesserit, quoad personas contrahere prohibitas, hic esse universales. Sed de his jam ante disserui, & universalitatem ostendi.

Num. 41. arripit, quod in Gamologia scripserim. Avus non potest ducere neptem, hoc expressis verbis, quæ oculis corporeis leguntur, non extare in Levitico, additque Ironicè, *me malè applicatis perspicillis præteriisse versiculum decimum capitis Lev.XVIII.* Respondeo. Quàm confusè agat Assertio, & quod semel protulit, ad idem posteà relabatur, videbit lector, quando legere placebit Gamol. lib. 2. p. 11. & 12. Ubi semel ac solidè refutavi sententiam hanc erroneam. *Quod oculis corporeis explicitè non legitur in Scriptura, id non extare in Scripturâ.* Vidit Adsertio, hæc non potuisse concoqui, spisè hic erratum esse, nec quicquam afferri potuisse, quo falsa fulciatur hæc thesis, & tamen iterum hanc Crambem. Jam ante algentem, & in novam Zemlam transmissam in foco Apitii recoquit. Sed ad rem. Avus non ducet proneptem. Sic legi oportebat, quod quilibet eruditus nullo negotio videbit. Vocula pro, præsertim, quando per abbreviationem scribitur, facile negligi potest à typotheta & correctore, quod hoc

 loco

autem semel aut bis existunt, ea praterire legislatores. Respondeo. Si rarus est talis casus,quo soror æquo animo fert sororem in eodem thalamo, eâ positâ raritate, conceditur tamen possibilis existentia hujus casus. Nam quæ rarò existunt,etiam existunt. Ergo in tali casu sororis tantæ probitatis & patientiæ, cessabit ficta causa finalis prohibitionis. Ergo cessabit ipsa prohibitio. Cessante prohibitione illâ in tali casu admittetur Polygamia, per duas sorores in eodem thalamo amicè viventes & conviventes. Et illa Polygamia existeret, sed rarò existeret juxta Adsertionem. Pulchrè omnia! Pergit numerus 48 hisce verbis *Dicit distinguens Antagonista, textum non loqui de vitâ, sed de vexatione in vitâ. Atqui exinde potiùs inferri debebat, textum loqui de vitâ, cum vexatio in vitâ non sit sine vitâ.* Respondeo simili textura & stamine. Podagricus non bibet vinum ad lacessendum Podagricum dolorem in pede. Colligit Antagonista prohibitionem hanc medicam non loqui primariò de pede, sed de dolore podagrico, ne excitetur in pede. Atqui exinde inferri debebat, si rectè concludere voluisset, hunc aphorismum πρώτως loqui de pede, cum dolor podagricus non sit sine pede. Sit ita; sed quàm tepent! Quam suaviter ridebit petulanti splene cachinno!

Adsertio Num. 49.

HIc numerus quærit, cum Responsum Juris, vitam uxoris ac vexationis metam habeat pro conditione prohibitioni divinæ adjecta, cur tantum responderim, quod conditio non statim sit causa finalis? Cur non etiam instantiam dederim? Respondeo. Res satis clara est. Prohibitionem divinam de uxoris sorore non ducendâ absolutam esse, non conditionatam. Mulierem ad sororem ejus omninò ne assumito. Hic nulla conditio, nulla limitatio nidulatur, quippe, quas ipse textus refutat. Ergo nulla opus erat instantia. Urgebam enim universalem hanc negantem. *Lev. c. XVIII. v. 18.* quæ simpliciter, non autem conditionaliter aut restrictivè negat!

Adsertio à Num. 50. & seqq. 51. 52.

HIc numerus de duobus Ablativis disserit. Nam Responsum Juris, ex duobus ablativis *uxore vivente* elicere conatur, vitam uxoris esse annexam conditionem, & causam finalem prohibitionis divinæ. Nimirum prohiberi tantum alteram sororem, propterea, quod

quod uxor in vivis eſt. Si rebus humanis exempta eſt, ceſſare prohibitionem, propter ceſſantem conditionem, ſive cauſam finalem. Dixi ex duobus ablativis hoc non poſſe colligi, quod non reperiantur in textu Hebræo. Cum Ablativus non reperiatur in totâ linguâ Hebræâ. Nemo in ullâ Grammatica Hebræa ablativum vidit unquam, ita ablatus eſt ablativus, etiam in aliis linguis Anatolicis. Quod igitur exiſtentiâ caret, id non ſuppeditat argumentũ in re tam arduâ. Ipſa Adſertio cogitur concedere, ablativos hoſce non extare in textu authentico. Ergo relabitur ad verſiones. Textum rectè verſum eſſe per duos ablativos. UXORE VIVENTE. Regero. Hi duo ablativi, uxore vivente non extant in verſione Junii & Tremellii formaliter. Non extant in verſione Xantis Pagnini. Non extant in verſione Münſteri, ſed in vulgatâ, quæ mille vitiis ſcatet. quæ juſſu jam hujus, jam illius Pontificis eſt toties tota emendata, & nondum pura, quod omnibus Philologis notiſſimum eſt. Nec in verſione Lutheri ſunt Ablativi duo. Weil ſie noch lebet. Sie lebet eſt tertia perſona verbi, ſed verba in Grammaticis carent caſibus; Et ſanè, ſi duo Ablativi formaliter extarent, in verſionibus accuratioribus, quod planè falſum eſt? nihil inde eliceret Reſponſum Juris, quod in Gamol. L. 2 pag 417. oſtendi, quod tamen noſtra Adſertio, quia refutare non potuit, planè præterit, quaſi ſeptendecim lineas in Gamologiâ legere non potuerit. Ibi oſtendo, quare in arduis negotiis controverſis, non ex verſione, ſed è textu originali ſint depromenda argumenta. Quia hic tantum ſit θεόπνευςος, à Deo immediatè inſpiratur. Et ſic ἰδιόπιςος, ſimpliciter meretur fidem, quod de nullâ verſione dici poteſt. Addidi textus *2. Sam. c. XXIII. Matt. c. X. v. 20. 2. Pet. c. I. v. 21.* addi quoque poſſunt *Eſ. cap. LI. v. 16. cap. LIX. v. 21. 1. Cor. cap. II. v. 17.* Hi textus oſtendent, quam impiè loquatur Aſſertio numero 51. quando inquit. *Nil itaq; agit* (Antagoniſta) *dum tantopere textum authenticum deprædicat.* Hæc verba non mihi, ſeu ipſi Scripturæ Sacræ, authenticum textum mirè deprædicanti, ineptè opponuntur, ut mirum ſit, tales in aliqua Academia naſci potuiſſe hederas. Sequitur *n 52. Ipſe Deus dicit; Non debes ducere uxorem ſororis viventis. Idem & nos dicimus.* Sed falſum eſt, Deum ita dixiſſe. Omnium n. legentium oculi deprehendent contrarium. Hoc Deus dixit *Levit. c. XVIII.*

v. 18. Et

v. 18. *Et mulierem ad sororem ejus non adsumes.* Et hic satis notabilem pausam posuit, nimirum ipsum Regem Athnah, qui hic sistit orationem. Verbum *vivere* hic non statim sequitur, sed multa alia inseruntur verba. Admittantur oculi testes, qui sunt testes omni exceptione majores. Ultimum demum verbum, quo versus concluditur, est illud *In vita ejus*, quod non cohæret cum remoto illo. Non accipies. Sic, conjungendo. Non accipies sororem uxoris in vita ejus. Ridiculum. Sed cohæret cum præcedentibus verbis. Afflicturus escam, scilicet uxorem tuam, si retexeris nuditatem ejus, scilicet superinductæ sororis, in vita ejus, nimirum uxoris tuæ. Adsertio hic tres cogit & cumulat errores. (1.) Perperam distinguit textum, dum negligit pausam Athnah distinguentem, & sic conjungit non conjungenda. (2.) Tumultuatur in textu, & verborum naturalem compositionem & cohærentiam rumpit, ultimum versiculi verbum. *In vita ejus*, aufert ex fine, & transponit in medium versiculi, eique affingit accentum distinctivum, quem non invenit ibidem in Bibliis hebræis eo in loco (3.) Verbum (בחייה) substantivum pluralis numeri, *in vitis* ejus, cum affixo, audet mutare in participium, quasi Deus dixerit; *Non debes ducere uxorem sororis viventis.* Sed, ὐδὲν ὑγιὲς, nil sani hic nil sobrii. Lien migrat in dextrum hypochondrium, Hepar in sinistrum. Intestina in cranio, cerebrum in ventriculo quærit diversorium, pancreas descendit ad lienes, renes ascendunt ad scapulas. Hæc peregrinatio partim de subitò corrumpit totum corpus humanum. Et hæc peregrinatio verborum jam ostensa planè corrumpit nostrum textum. Ut vere dicere liceat, assertionis authorem, limpidos silvæ rivos, immissis mortui maris bituminosis aquis mirè ac miserè perturbâsse. Eodem numero pergit Adsertio. *Deus* inquit, *non dicit, Non debes ducere sororem uxoris defunctæ. Cur itaq; adversarius affirmant, Deum hoc dixisse?* Repono. Utinam Adsertio didicisset tantummodo legere originalem textum! Utinam literas, puncta & pausas nosset. Sic opponendis tam ineptis, non tantum mihi facesseret negotii. Uno verbo. Dixit Deus. *Item mulierem ad sororem ejus non accipies.* Æquipollens ex *Levit. c. XVIII. v. 6 & 18.* junctim deprompta hæc est: *Nullus homo uxoris sororem accipiet.* Qui

 alteram

alteram fororem planè non accipiet ille eam non accipiet, five uxor vivat, five illa mortua fit. Quid quæfo affirmando concedit univerfalis abfoultè negans. Conferamus verba *Levit. c. XVIII. v. 18. & Exod. c. XX. v. 13. 14. 15.* ubi particula לא Lo cum verbo conjungitur.

לא תקח	Non accipies	Non accipito
לא תרצח	Non occides	Non occidito
לא תנאף	Non fcortaberis	Non fcortator
לא תגנוב	Non furaberis	Non furator.

Hæ formulæ univerfalitatem ponunt univerfaliter prohibent. Quando igitur libebit fororem uxoris ducere? Quando licebit occidere, fcortari, furari? Nunquam! At diceret quifpiam. Non occidito. habet Soph pafuk, quo oratio fiftitur. Sed etiam non accipito habet paufam Athnah, quâ oratio hoc loco fiftitur. At dicas, poft verba non accipito fequuntur hic plura verba. Immo fequuntur illa poft prohibitionem, diftinctione â verbis fecuturis avulfam, & ante Athnah quiefcentem. Nimirum hæc; Afflicturus es eam (uxorem) retegendo nuditatem ejus (alterius fororis) in vita ejus (uxoris) Hæc verba rationem exaggerantem complectuntur. Affliges uxorem tuam, fequentur fulmina domeftica, quæ Patriarcha Jacob nimis expertus eft, idque fiet in illo cafu, quando retexeris nuditatem alterius fororis in vita uxoris tuæ, quod idem eft, ac fi diceretur. Hoc fiet quando duxeris alteram fororem, & fic duas fimul in lecto geniali habueris forores, quando abuteris exemplo Jacobi, quafi illud factum, attamen longè aliis ftipatum circumftantiis fit imitabile, tibique licitum.

Adfertio n. 53.

Refponfum Juris dixerat, prohibitionem de uxoris forore non ducenda, locum habere non poffe, fine caufa in difpofitione expreffa, nimirum, fi uxor affligitur, fi vivit. Repofui. Hoc nudè dici, prohibitionem autem fub hâc conditione tantùm factam effe. Non duces uxoris fororem, quandiu uxor vivit, & affligitur per alterum matrimonium, hoc nullo argumento probari. Quid ad hoc Adfertio? Num. 53. hæc leguntur. *Refpondemus Deum non purè & illuminatè*

minatè

minatè probibuisse hoc matrimonium cum sorore uxoris, sed additâ hâc expressâ restrictione, dum uxor vivit. Verum hic nullum argumentum audio, sed tantum repetitur nuda allegata adsertio Responsi Juris, adhuc probanda, at nondum probata. Pergit Adsertio. *Si Deus separatam à dispositione voluisset habere illam causam, (si affligitur, si vivit uxor, quæ est causa perbibitionis, & stante hâc causâ & conditione: non duces alteram sororem) is eam ipse separasset & matrimonium hoc purè probibuisset quod non fecit. Integer igitur contextus retinendus est.* Repono. Prohibitio divina separata est â sequentibus verbis per pausam Athnah. Deus purè & universaliter hoc prohibuit matrimonium, quod vel centies ostendi, textum citando. Integrum quoque textum retineo. Sed distinctionem biblicam urgeo, nolo enim textum confusum, & ex proprio cerebro interruptum, & malè distinctum mihi obtrudi. Uno verbo. Integrum textum admitto, malè distinctum & perturbatum textum repudio. Prohibitionem â ratione exaggerante & sequente eâ distinctione, quam Biblia ostendunt, destinctum ac separatum cupio. Remitto hic ad oculos Judices ac testes. Et sic Adsertio limitatam suam prohibitionem sub causa, sub conditione, sub duobus ablativis nullo verbo hîc probare potuit.

Assertio â n. 55. ad n. 56.

GAmologia mea ita differit *lib. 2. tit. 5. pag. 418.* Textus nobis subministrat nativam causam, & finem principem prohibitionum, cur hoc, vel illud ibi prohibeatur. Et quidem *Levit. c. XVIII. v. 6.* Nemo ad carnem carnis, vel nimis propinquum aut propinquam accedat. Hæc textus! Sororius autem cum sua uxore factus est una caro. *Gen. II. v. 24.* Porrò, uxoris soror dicit sororio verè ac realissimè. Uxor tua est caro mea & sanguis, è textu *Gen. XXXVII v. 17.* Non occidamus Josephum est frater noster, *caro nostra & sanguis.* Hoc si verum est de duobus fratribus. Ergo idem verum est de duabus sororibus. Eadem enim est cognatio inter fratres, inter sorores, inter fratres & sorores. Sororius igitur qui cum una sorore factus est una caro *Gen. c. II.* & ducit alteram sororem, quæ prioris caro & sanguis est & manet *Gen. c. XXXVII.* is impiè agit & ad proximam carnis nefariè accedit, contra *Levit. c. XVIII. v. 6.* qui versiculus causam omnium in propinquitate prohibitionum per totum caput

allegatum luculenter exponit. Sequitur Adſertio n. 55. quæ dicit, *me pro authoritate obtrudere verum cauſam finalem (prohibitionis) Nemo accedat ad proximam carnis. Eſſe meram principii petitionem, quod expoſitum ſit. Locum* Gen. XXXVII. *per fictionem Juris intelligendum eſſe, vel hanc abſurdam contradicentem admittendam eſſe. Fratres & ſorores verè, naturaliter & propriè ſunt una numero caro. Verè & cum effectu Juris non poſſe cenſeri carnem carnis, quam inter aſcendentes & deſcendentes, quod nec de fratribus, nec de aliis conſanguineis, multo minus de affinibus adſeverari poſſit.* Reſpondeo. Ego propriâ authoritate veram ac principalem prohibitionum cauſam, quæ Levit. c. XVIII. v. 6. legitur non obtrudo, ſed ex textu ipſo oſtendo, conſentientibus Theologis ac JCtis graviſſimis. Nec peto principium, dum quod aſſero, per textus ſtatim probo. Nôrunt Logici, hoc modo principium nullo pacto peti poſſe. Adſertio igitur ſuo modo hoc dicit, ſed non probat, quod dicit, id quod magnum eſt in diſputando privilegium. Locus Gen. XXXVII. non poteſt intelligi per fictionem Juris, quemadmodum Adſertio textum malè interpretatur. Nam hoc ſenſu acceptus, nihili fuiſſet hoc Judæ dehortantis argumentum. Manus noſtra non ſit ei infeſta. Ratio. Quia frater noſter, caro noſtra eſt. Fictio Juris in qua terra fratres facit? Nullibi! Fratres fiunt per participationem ſanguinis, quem habent immediatè ab utroque, vel ab uno parente. Hinc Germani dicunt: Volle Brüder / halbe Brüder. Si quis quærat. Cur vos fratres eſtis? Nemo audivit ab ullo homine, ullo in ſeculo reſponſum fuiſſe. Fictio Juris non fecit fratres. Vel fratres ſumus per fictionen Juris. Hæc fictio Juris forſan per actum entitativum cum materia prima erit extra nihil, ſed non erit hoc aliquid, habebitque cum cœteris fictis patriam in cerebro, ubi habitant Enthymea, Syntheſis, Syllepſis, Horizon, Tropici arctici, & cæteræ hujus entitatis ſubtiliſſimæ gentes. Generalis verò, realiſſima, Phyſica, ipſa immediata κοινωνία ſive communicatio carnis & ſanguinis quæ ab iisdem parentibus progerminant in duobus filiis, illa ſanguinis κοινωνία, hos filios reſpectu parentum facit filios, reſpectu participationis paterni ac materni ſanguinis, cujus uterque filius particeps factus eſt, hos duos filios phyſico nexu facit fratres, ſi talis ſanguinis κοινωνία progerminat in duabus filiabus, has filias facit inter ſe ob

eandem

eandem participationem sorores. Et propter hanc physicam generationem, quâ Jacob generat Ruben; Jehûdam &c. ac Josephum, ipse Ruben, Jehuda ac Josephus erant fratres, quia ab uno illo & proximo communi stipite & patre carnem & sanguinem acceperant, ejusque participes facti erant quemadmodum ille loquendi mod⁹ optimè derivari huc potest ex epist. ad Hebr. c. II. v. 14. Ergo quilibet Sagaciter odoratur, qualis sit explicatio loci Gen. XXXVII Josephus est frater & caro nostra, scilicet non per fictionem Juris, quæ toto textu & capite ne quidem sui umbram reperit. Hoc non est exponere, sed ludere. Malè etiam Adsertio absurdum vocat, quando fratres fratrib⁹, fratres sororibus dicunt cum Mose vel Jehuda. Vos estis nostra caro & sanguis. Hoc verè ac propriè dicitur, propter veram ac naturalem â parentibus vel uno parente generationem & sanguinis ab uno stipite (maritus & uxor, sunt una caro) participationem, cujus fratres & sorores physicè ac realissimè fiunt participes. Adsertio argutatur absurdè dici, quod duo fratres sint *una Numero caro*. Sed hoc non legitur in allegato textu Gen. XXXVII nec legitur in tota Gamologia. Sufficit quod præeunte physicâ verè dicatur, Josephus est caro nostra & sanguis. Quo obtinui, quod soror malè ducenda sororio possit, præeunte physicâ idem, & ob eandem causam verè dicere. Uxor tua, quam in matrimonio habuisti, est caro mea & sanguis. Ergò me agnoscis tibi proximam carnis, propter realissimam contratam affinitatem, ex realissima & physica carnis copulatione resultantem. Ergo ad me proximam carnis non potes accedere, per versiculum 6. decimi octavi capitis Levitici. Quod porrò affirmat Adsertio, carnem carnis, istud est, talem propinquitatem, quæ matrimonium in citato Levitici capite prohibet *non esse nisi inter ascendentes & descendentes*, id audacter quidem dicitur, sed falsissimum est. Inter fratres & sorores in linea collaterali, vel est caro carnis, hoc est sensu genuino & Mosaico, talis propinquitas, quæ matrimonium impedit. Vel inter fratres & sorores non est talis propinquitas. Eligat Adsertio alterutrum. Si inter fratres & sorores, talem carnis carnem, vel carnis reliquias esse dicit, sibi illicò contradicit, & propria cædit vineta, quando carnem carnis tantum inter ascendentes & descendentes admittebat. Si negat, illicò illabitur in hujus Absurdi carybdim. Fratrem

 posse

posse suam sororem ducere. Usurparem hic Adsertionis verba, quibus me excipiebat. Eligat Adsertio cui dicat, tu mihi sola places!

Adsertio n. 57.

MOrtem dixeram non auferre propinquitatem. Abel est Adami filius sive vivat, sive moriatur Adam, Lea est Rachelis soror, sive vivat, sive naturæ alterutra concedat. Adsertio autem dicit. *Hoc scopum non ferire. Sanguinis conjunctionem hic rectè negari, quia hoc matrimonium tantum vivente uxore sit prohibitum.* Respodeo. Adsertio non audet negare, per mortem non sopiri natam propinquitatem. Ergo scopum ferit, quod illa propinquitas inter sororium & uxoris sororem post uxoris hujus mortem maneat. Sed Adsertio negat hic intercessisse sanguinis conjunctionem, ex eo fundamento. Quod Deus sororio alteram sororem tantùm prohibuerit, uxore vivente. At verò quis non videt prominulam illam & vicies repetitam petitionem principii hic radices agere, quando hic præsupponitur tanquam verum, quod verum non est, & cujus veritas per argumenra & rationes adhuc probanda est. Remitto igitur ad textum Levit.c.XVIII.v.18. Et mulierem ad sororem non assumito. Athnah Pausa! Remitto ad textum Gen. c. II. quod sororius cum uxore sua factus sit una caro. Remitto ad Gen. c. XXXVII. Quod soror sororem propriè vocet carnem suam & sanguinem. Remitto ad sequelem hanc satis ineptam. Inter sororium & uxoris sororem non est consangninitas. E. inter illas personas non est propinquitas matrimonium impediens, quasi verò nulla matrimonia, propter propinquitatem ex affinitate natam, in Levitico prohibeantur. Sic navigat Adsertio inter infames scopulos Æroceraunia!

Adsertio à Num. 58. ad. num. 8.

GAmologia argumentum promit. *L.2.t.5.pag.419.ex Levit.c.*XVIII. *v. 16.* ubi prohibetur fratria, additurque mih causa. *Nuditas fratris tui est,* nimis tibi propinqua est. Hoc est. frater tuus eam nudavit, cum ea consuevit. Non autem propinqua est consanguinitate, quæ hic nulla est. Sed affinitate, ex nudatione orta. Sic altera soror non potest nubere sororio, quia hic nuditas sororis est, istud est, nudavit sororem, consuevit cum ea. Eadem hic causa; eadem ratio hic est. Ergo idem jus eademque prohibitio. Adsertio vocat *exemplum hetero-*

roge-

rogeneum. Ergo autem puto, hoc esse homogeneum, cum causa prohibitonis eadem sit in utroque casu. *Quadam à me allata respectum habere ad lineam rectam*, dicit Adsertio. At in hoc exemplo de fratria, nemo lineam rectam ostendet, quæ inter fratres & fratriam planè non datur. *Addita exempla non infringere liberam Dei voluntatem*. Sed libera Dei voluntas simul & lex est. *Non duces fratriam v. 26*. Et *non duces uxoris sororem v. 18*. Eadem etiam causa prohibitionis est utrobique. Fratria est nuditas fratris tui. Sororius est nuditas sororis tuæ. In utraque lege prohibente eminet Dei voluntas, quæ neutrum probat conjugium. Sed Adsertio dicit *v. 16. & 18. Diversas extare propositiones*. Forsan hæ. *Nemo ducet fratriam. Non duces sororem uxoris, quando hac vivit*. At posterior non extat in textu. At non duces fratriam. Non duces uxoris sororem. Has propositiones probo, tanquam textuales. Adsertio dicit, *inter diversas propositiones Logici no admittunt contradictionem*. Sed non loquor de contradictione, loquor de consecutione. Qui fratriam prohibet, simul prohibet uxoris sororem, propter eandem prohibitionis causam. Eadem enim est cognatio in utroque casu, quod nemo negaverit. Fratria est nuditas fratris, sed sororius est nuditas sororis & retro. Hoc est facti & quidem luculenti. Frater tuus cognovit fratriam tuam, Ergo cave! Sororius cognovit sororem tuam, Ergo cave! Qui eandem causam prohibitionis videt, quæ causa exprimitur in texto, & ostendit, cur Deus prohibuerit, quidni in consimili casu, ubi eadem causa excubias agit, prohibitio colligeretur. Nam illa causa, quæ prohibitionem parit in voluntate divina, eadem causa in consimili casu ex asse reperta, pariter pariet concessionem. Absonum! Medicus qui decumbenti prohibet Zingiber propter calorem, is concedet ægro calenti piper propter eundem calorem, is concedet ægro calenti piper propter eundem calorem. Labyrinthus!

Num 60. sic loquitur. *De causa minus principali qua proponit, in proprio ipsius cerebro nata, suo loco relinquenda sunt*. Respondeo. Dixi, tu non duces uxoris tuæ sororem, quia est caro carnis *Levit. c.* XVIII. *v. 6.* istud est, nimis tibi propinqua est. Excipit Assertio *n. 63. Hac enim ipsius* (Antagonistæ) *non Dei assertio est* Respondeo. non mea sed ipsius Dei est hæc propositio *Et mulierem ad sororem ejus non adsumito*. Athnah, paula! Legite saltis textum, & invenietis hanc propositionem

nem *Levit. c.* XVIII. *v.* 18. Ratio quoque hujus propositionis non est mea, sed Dei est. Extat enim in eodem capite *v* 6. *Nemo ad carnem carnis, vel ad ullum propinquum aut propinquam carnis suæ accedat.* Ergo hæc causa in cerebro meo non est nata, fatebuntur omnes qui Mosen hoc loco legerunt. Pergit Adsertio. *Tu non duces uxoris tuæ sororem ne uxor tua exacerbetur, non est nostra, sed Dei prohibitio.* At talis prohibitio non extat in citato loco Levitici. Adversatur distinctio Biblica, & adscripta pausa Athnah, quæ orationem hic sufflaminet. Illa exacerbatio non est nativa & principalis prohibitionis causa, sed est ratio exaggerrans, & secundaria, â jurgiis domesticis desumpta, in casu illo secuturis, si quis exemplum Jacobi voluerit imitari, & duas simul in lecto geniali tolerare sorores. Et hoc ego solus non dixi, uti perperam putat Assertio, sed hoc ante me dixit Magnus ille Theologus Gerhardus, & alii multi, quod nemo nescit, præterquam qui ista non legit. Concludit Adsertio eodem numero. *Judicet nunc quilibet cordatus, an Havemanni rationibus, an verò Dei plus fidei tribuendum.* Immò judicet eruditus lector, an textui originali, â Spiritu Sancto immediatè inspirato, in ipsis bibliis Hebræis accuratè distincto, plus fidei sit tribuendum, quam textui malè distincto, planè perturbato & contra verborum nativam cohærentiam detorto & allegato. De carne carnis nil addo, supra rem exposui & evici.

Sequitur numerus 64 *Gamologia l. 2. tit. 5. pag. 420.* de conscientia loquitur, quod sit res tenerrima, quæ atomis aliquando offendatur. Colligo. In casu, quando consanguinitas aut proximitas certa est, sed disputatur & dubitatur, an illa talis sit, quæ matrimonium impediat, vel quod idem est, an gradus sit licitus vel prohibitus? Dic sodes, utrius sententia vel consilium tutius est, illudne quod pedem figit & dicit, Ne fac, vel corrige factum. Vel illud quod propius quidem, sed temerè accedit ad ignem hunc, & dicit, fac & dura in facto. Ego illud præferrem. Quid ad hæc Adsertio? *Se non suadere hoc conjugium propter constitutiones Christiani Magistratus & Ecclesiæ n. 65.* Respondeo. Juris responsum, ut non suadet hoc matrimonium, tamen bonâ conscientiâ in tali matrimonio jam contracto vivi posse pugnat. Deinde præsupponit hoc matrimonium Jure duntaxat humano prohibitum esse, non divino, quod simul periculosum est ac supra omnes sphæras falsum. *Et mulierem ad sororem ejus non adsumito. Pausa!*

Num. 66.

Num. 66. dicit, *argumentum à sensu contrariorum in omni Jure positivo procedere.* Respondeo. Hoc universaliter verum non esse, nôrunt eruditi, & ipsa Adsertio hoc fateri cogitur, eodem numero, ubi inquit, *salvis tamen casibus, quibus id perdit officium suum, à Doctoribus sat luculenter annotatis.* Addit. *Philosophos hoc argumenti genus excoluisse.* Repono. Aliud est excolere, aliud est dicere, quod talis collectio à sensu contrario semper valeat & ubique. Et quis Philosophus dixit. Prohibitionem absolutam & universalem per collectionem à sensu contrario parere concessionem? Nullus & nemo! Sic res tam ardua, qualis hic tractatur, ruinosæ hujus argumentationis sabulo in ædificari planè abnuit.

Num 67. de argumento loquitur, quod impugnem. Uno verbo. Non licet dum uxor vivit. Ergò licet, cum uxor moritur. Rectè hoc refutavi (1.) Quia conditionata illa; *Non licet dum vivit*, planè non extat in Mose, sed universalis purè negans. (2.) Concessio nullibi extat in Scriptura sacra (3.) Non permittit ratio Mosaica, quia uxoris soror est propinqua carnis &c. Assertio regerit. *Non novum esse, me negare concessionem ex speciali* & restricta prohibitione resultantem, qui apertam prohibitionem inter avum & neptem negare ausus sim. Respondeo. Restrictiva & specialis prohibitio. *Non duces sororem uxoris,* quamdiu hæc vivit, cerebri humani figmentum est, cui tamen Responsum Juris planè innititur, licet eam è textu nunquam probare potuit. Avum neptem & proneptem ducere posse nuspiam dixi, per febrim mihi hoc non incidit, qui Juvenis non potui nescire, matrimonia in linea recta ascendente & descendente prohibita esse. At dico. Av9 non ducet proneptem. Hanc prohibitionem formaliter non extare in *Levit. c.* XVIII. quod expono totidem literis & syllabis non extare. Adsertio mihi eam monstret. Et jam ante respondi, mirum esse, quod non viderit erratum typographicum, quando neptem refert, cùm proneptem intelligi. Viderit, quod quilibet in jure Connubiorum exercitatus nullo negotio videre potuit & debuit. Eodem numero pergit Adsertio his verbis. *Det ipse firmas rationes, quare illa concessio non sit eruenda ex deficiente Prohibitione.* Respondeo *concessio* hæc, *licebit tibi ducere uxoris sororem, quando mortua est uxor*, hæc, inquam, erui non potest in æternum ex *Levit. c.* XVIII. v. 18. Quia prohibitio hic non deficit, quod Assertio temerè asserere audet, sed extat illa,

 estque

eſtque prohibitio (quod notandum) pura & univerſalis. *Et mulierem ad ſororem ejus non adſumito.* Pauſa! Iſtud eſt ex v. 6. *Nullus homo ducet uxoris ſuæ ſororem.* Hic Adſertio habet firmiſſimam rationem, quam infringat; ſi poteſt.

Pergo ad Num. 68. Colligo l. 2. tit. 5. pag 422. Non poſſum ducere ſororis, defunctæ meæ uxoris filiam, propter neceſſariam conſequentiam *ex Levit. c.* XVIII. v. 14. Si non licet filiam ducere in propinquitate remotiore & magis Laxa. Ergò multò minus poſſum ducere ejus matrem defunctæ uxoris meæ ſororem, in propinquitate magis propinqua & conſtricta. Certum enim eſt ex *Levit. c* XVIII. *v. 6.* quando prohibetur proximitas remotior, magis prohiberi propinquitatem propinquiorem. Sed Adſertio ſuam hic oſtendit alacritatem & cubicam confidentiam, hiſce verbis n. 68. *Flebile autem argumentum eſt, quod cohortem claudit, Non poſſum ducere uxoris meæ defunctæ ſororis filiam, Multò minùs ſororem ipſam, cum id petitione principii laboret, neq; per ullam rationem præterquam per negatam prohibitionis reciprocationem, & reſpectum graduum à Moſe habitum probari poſſit. Quæ enim ſequela? Nuditatem Patrui tui ne retegito, ad uxorem ejus ne appropinquato, amita tua eſt Levit. c.* XVIII. *v. 14. Ergo non potes ducere uxoris tuæ ſororis filiam &c.* Reſpondeo, quando Adſertio argumentum hoc, quo ex propinquitate remotiori prohibita, colligitur, propinquitatẽ propinquiorem magis eſſe prohibitam, vocare audet flebile argumentũ, hic aut neſcivit, hoc argumentum à Theologis omnium orthodoxorũ conſenſu magnis, Chemnitio, Gerhardo, & multis aliis, quos prætereo, imò à JCtis celeberrimis uſurpatum eſſe, aut iſtud ſcivit. Si neſcivit, deflenda tot eruditiſſimis viris ſe ſiſtet Adſertio mihi oppoſita: Si ſcivit, deflenda ſe ſiſtit ſingularis temeritas, vel temeria ſingularitas. Eligat Adſertio utrum velit. Quando ex Levit. c. XVIII. v. 14. autumat per neceſſariam conſequentiam non poſſe colligi prohibitionem uxoris ſororis, illico graviſſimis Theologis & JCtis contradicit, imò incidit in hoc abſurdum, quod idem factum, ſive eandem proximitatem, Deus in Levitico ſimul conceſſerit & non conceſſerit. Identitas propinquitatis hic æquè ineptè negabitur, Ac ſi quis identitatem furti & facti negaret, quod in duobus factis iisdem circumſtantiis planè ſtipatis commiſſum eſſet, quamvis prius Romæ, poſterius Venetiis; prius menſe Majo, poſterius, quando Julius arſit, prius à Lentulo,

poſterius

posterius à Cajo commissum sit. Graduum mentionem hic non facio, infra dispiciam, quid sentiendum sit de quæstione illa, An prohibitionis Levit. c. XVIII. tantùm ad personas nominatas, vel simul ad gradus pertineant? Sed nil ad rem hoc facit. Generationem nemo negabit, Ergo nec propinquitatem ex generatione natam. Copulam carnalem nemo negabit. Ergo nec affinitatem ex illa genitam. Sed de his infra. Tandem Judicium Lectori relinquit Adsertio, uti fas est, *Utrum digniora & veriora sint, quæ ex verbis & mente legis divinæ clara, quàm quæ ex mutatione affinitatis in fictam carnis carnem, exemplis heterogeneis & dissimilibus, nec non ejusmodi rebus aliis congesta sint ex parte Adversa.* Concludo hanc disputationem & lectori veritatis amanti judicium permitto. An digniora & veriora sint, quæ ex originali textu à Deo immediatè inspirato, è textu rectè in ipsis bibliis hebræis distincto, è textu in sua cohærentia relicto, cœterisque argumentis ex identitate facti & propinquitatis haustis, ex propinquitate remotiori prohibita. Ex prohibitione pura non limitata, sed universali negante concepta, & aliis hujus census solidissimis probationibus sunt ex verbo Dei proposita, quàm illa, quæ ex parte adversa, ex versione, eâque malè distincta, verborumque legitima cohærentia turbat, & sic male intellecta, imò pro enunciatione seu prohibitione limitata ac restrictiva lectori obtrusa, quæ tamen pura est in textu & universalis, adeoque ab argumentatione, quæ aliquando tantum à sensu contrario derivari potest, cœterisque nutantibus, eruta & congesta sunt, utra veriora, quibus conscientia tutius nititur, Judicet benevolus lector. Ego veritatem divinam contra adsultus quosvis modestè hic defendo, quod mihi opposita Adsertio, eaque alicubi satis aculeata imponere voluit, quin etiam optima causa, & Calculo excellentissimorum quorumlibet virorum satis septa infallibilique textui sacro innixa mihi imperavit. Claudamus igitur hosce rivos, quoniam sat prata bibêre.

CAPUT IV.

In quo consideratur capitis quinti, Membrum III. Adsertionis mihi opposita.

HUic membro hæc subjicitur rubrica. *Tria problemata Dni Havemanni.* Hæc problemata postea ita recensentur. (1.) *Omnes ac*

singulas prohibitiones graduum c. XIIX Levit propositas, nullâ exceptâ, non esse merè Leviticas & Juris positivi, quo soli Israelitæ olim in Veteri Testamento fuerint obligati, sed Juris naturæ, obligantes omnes omninò in orbe terrarum homines, idq; omni tempore. (2.) Probibitiones in citato Levitici capite repertas, non tantùm ad personas expressè ibi nominatas, sed ad gradus pertinere. (3) Probibitiones in nuptiis dicto capite factas nullam admittere dispensationem. Respondeo Autor Adsertionis usurpat hic vocabulum *Problemata* sed qui lexica latina scripserunt, inter quos est Ambrosius Calepinus, hi dicunt: Problema est propositio interrogationem habens, talem interrogationem non reperit Adsertio hoc loco in Gamologia, nec ipsa Adsertio hic quicqam in forma interrogationis repetit. Rectiº igitur in locum vocis *Problemata* succedet *themata*, ne vocabula hæc malè misceamus, abnuentibus Cicerone & Quintiliano. (2.) Adsertio allegata hæc tria themata, vocat, *themata Havemanni.* Ex quo paucæ lectionis mancipium hoc facilè colligeret, quasi hic tres novas opiniones alam, quas ego solus dissеminem, & in quibus ab aliis viris eruditis seorsim sentiam. Sed hoc falsum est. Nam tria themata hic recensita mecum, & ante me defendunt celeberrimi Theologi *D. Chemnitius loco de conjug. pag. 223. pag. 224. & in Exam. Concil. Trident. D. Gerhard. Tom. 7. de conjug. §. 275. §. 290. D. Brochm. de Conjug. c 4 quæst. 39. quæst. 40. D. Paulus Tarnov. l. 1. de conjug. c. 52. & seqq. D. Havenreff. de Conjug. pag. 627. & pag. 636. D. Mentzer de cong. pag. 38 Bidenbach Tract. de Causis Matrimonial. c. 3. quæst. 3. Idem faciunt JCti magni nominis D. Carpz. Kitzel Synops. matrim. c. 3. pag. 55. D. Beust. part 2. c. 51. D. Basil. Monerus part. 4. c. 3. Scharder ad Tit. Instit. de nupt. part. 2. n. 136.* & multi alii. Ergo hæc themata non sunt unius Havemanni, sed celeberrimorum horum Theologorum & JCtorum, pluriumque aliorum, qui hodie in celebrioribus Germaniæ Academiæ publicitus docent, quibus Gamologia subscribit, non propter authoritatem asserentium, sed propter immota fundamenta assertorum, quibus Adsertio, novitatis & singularitatis prurita pexata prælicentur contradicit, & se aliis oculatiorem censeri exoptat, quando novas commentationes in Levitici caput. XVIII. Scribere audet, in castris tamen Theologicis nondum satis exasciata & exercitata.

Adser-

Adſertio Artic. I. à N. 1. ad N. 4. incluſivè.

SUb hoc articulo incipit numerus 1. *Dicit, Havemannus omnes prohibitiones Levit. c. XVIII. propoſitas eſſe juris naturæ non formaliter & cauſaliter, ſed duntaxat ſubjectivè, quia id jus à Deo naturæ humanæ inditum eſt. Originaliter autem & formaliter id appellari jus divinum & revelatum, quia immediato inſtinctu Spiritus Sancti à viro Dei Moſe ſcriptum eſt. Et ſic lex Moſaica in nullis negotiis matrimonialibus, quoad congruam diſpoſitionem & conſtitutionem, opponi juri primævo, niſi tantum in conceſſione repudii. Ita diſſerit ille. Si intelligit quid dixerit bene eſt. Quid verò ſit cauſaliter eſſe jus naturæ, id aſſequi erit difficile. Eſſe autem revera legem aliquam naturalem, & tamen idem non eſſe formaliter id non minus manifeſtam implicat contradictionem, quam ut quis verè ſit homo & tamen non formaliter.*

Conſideratio.

(1.) DIſplicet, quod Autor Adſertionis verba mea mutilat. Sic ſcripſi *Gamol. L. 2. tit. 5. poſit. 6. p. 366.* Jus naturæ ſubjectivè ita appellari, quia à Deo Ter optimo maximo inditum eſt. Vide ſis Epiſt. ad *Rom. c. II.* Hæc verba. *Vide ſis epiſt. ad Rom. c. II.* quæ aſſertionis meæ fundamentum oſtendunt, nimis candidè omiſit, noluitque accedere ad ignem hunc, ne cum Petro agnoſcatur Galilæus in palatio. (2.) *Addit, ſi intelligit quid dixerit bene eſt.* At his verbis nihil refutat. Verba mea optimè intelligo, & intelligo alios, qui iisdem terminis rectè uſi ſunt, & intelligo Paulum Epiſt. ad *Rom II.* qui mecum dicit idem, quem locum autor aſſertionis non audet attingere. (3.) *Quid ſit cauſaliter eſſe jus naturæ, id aſſequi erit difficile.* Concedo iſtud facile, Nimirum ei, qui non legit Theologos ac Philoſophos, huic hoc erit ſcitu difficile, qui autem libros Theologorum evolvit, hoc adſequi poterit facile! Qui ignorat ſenſum terminorum vulgarium, *Originaliter Cauſaliter, formaliter & Subjectivè*, qui in ſcholis minorum gentium inculcantur, hic facilè hæret, ſi ſecus, facillimè ſe expediet. Præterea aberrat Adſertio, quando affirmativè ſcribit, *quid ſit cauſaliter eſſe, jus naturæ, id aſſequi erit difficile.* Sed hoc in tota Gamologia non vidit, non legit, quippe, quæ negativè loquitur. Jus naturæ non poteſt vocari jus naturæ cauſaliter. Ratio hæc eſt, quia jus illud non cohæret cum natura abſolutè ut effectum & cauſa. Ipſa natura tan-

quam causa, suo influxu causali per se non facit hoc jus. Sed Deus est genuina juris hujus causa, qui illud αὐτοῖς ἐφανέρωσε Rom. c. I. v. 19. qui hoc jus inscripsit cordibus eorum Rom. c. II. v. 15. & quidem inscriptione physicâ, non autem inscriptione gratiosa de qua Jerem. c. XXXI. v. 33. Hinc vocatur veritas Dei. Rom. c. I. v. 18. confer. v. 19. Dicitur δικαίωμα θεοῦ, jus Dei. Rom. c. I. v. 32. quod Deus manifestavit, quod Deus cordibus inscripsit, non quod natura sibi indidit, sibi ipsi impressit πρώτως καὶ κυρίως. Quamobrem non potest Originaliter & Causaliter vocari Jus naturæ, quod definitio ipsa Juris naturæ ostendit. Quam D. Brochman paucis verbis ita complectitur. Lex naturæ est cogenitum nostræ menti, & cordi nostro dictamen, in prima creatione â Deo nobis impressum (Ergo causaliter & Originaliter non potest vocari jus naturæ) in natura adhuc utrumque reliquum, quo novimus numen aliquod esse, cultu efficiendum, & cognoscimus honesta esse facienda, & turpia fugienda. Hæc sunt tam perspicua, ut mirari liceat, quod Adsertio hæc non possit carpere, uti dicit, quæ obvia sunt, & â docentibus ignorari non debent. (4.) Tandem sequuntur illa. *Esse autem revera legem aliquam naturalem & tamen non esse eam formaliter, id non nimis manifestam implicare contradictionem, quam ut quis verè sit homo, & tamen non formaliter.* Tædet talia legere, quæ omnes eruditi repudiabunt, quotquot unquam libros Theologicos legerunt, quique terminos norunt, & Metaphysicam in limine salutarunt. Homo verè est homo, & formaliter est homo, propter suam formã, quæ dat ei esse, hoc est, propter animam rationalem. Sic lex naturæ verè & formaliter lex est, ideo quod formâ legis non privetur, per quam lex est lex. Hac de re non disputatur. Interim hæc lex, quæ formaliter lex est, propter legis formam, non tamen est, nec dicitur lex naturæ, formaliter, quia sola natura non dat esse huic legi, non est ejus principium essentiale & constitutivum. Hæc â se invicem non potuit, noluit discernere Adsertio, quod mirum. Et quid videtur Domino Autori de hac quæstione. An naturale lumen in prima creatione insitum ac perfectum, ab imagine Dei toto cœlo differat? Si legit Theologos non affirmabit. Hi enim rectè dicunt, quod insitum illud naturale lumen tunc comprehenderit lucem sapientiæ & cognitionis Dei atque ope-

rum

rum ipsius Gen. c. II. v. 19. Coloss. c. III. v. 10. tum voluntatis affectuumque sanctitatem, omniumque virium ad optima quæque inclinationem & promptitudinem Ephes. c. IV. v. 24. 2. Cor. III. v. 18. Jam disputant Theologi contra Pontificios, & rectè dicunt. Imaginem Dei fuisse donum connaturale (1.) Non formaliter & constitutivè, quia non dabat esse homini, si esse dedit, non essemus jam homines perfecti, propter imaginem Dei amissam (2.) sed subjectivè, quia Imago illa penitissimè inhæsit naturæ. Idem verum est de lege naturæ, quæ dicitur lex naturæ, non autem formaliter, quasi natura huic legi dederit esse, quasi natura eam constituat, sed subjectivè, quia Deus hanc legem naturæ indidit, menti ac voluntati humanæ inscripsit, uti docet Paulus, quia penitissimè hæc lex naturæ inhæsit. Miror & iterum miror, quod Adsertio hoc non intellexerit, quando de implicatione contradictionis loquitur. Et Ironicè addit: *Sic differit ille. Si intelligit quæ dicit, bene est.* Jam videt me abundè intelligere, & accuratè probare singula quæ dixi. Quæ deinceps sequuntur ad n. 11. inclusivè ex his, quæ jam respondi, facilè possunt dijudicari. Quamobrem progredi lubet ad cætera, quæ rem ipsam attingunt propius.

Adsertio à Num. 12. ad. num. 14. exclusivè.

HIc Adsertio promittit examen argumenti mei primi, quo probavi omnes prohibitiones Lev. c. XVIII. esse Juris naturæ. *Alias gentes, extra poprium Israelis propter contractas ejusmodi nuptias punitas, & è terra sua ejectas esse. Ergo earum prohibitionem esse de Jure naturæ.*

Consideratio.

HIc iterum candorem desidero, quando Adsertio hîc argumentum meum vix semiplenè recensset. Legat qui vult Gamologiam *l. 2. tit. 5. pag. 366. 367.* ibi ostendo *(1.)* Jura forensia & ceremonialia Judæos tantum non autem gentes obligare, quod patet ex voce לדורותיכם *Ledorothecem.* Hæc observabitis vos judæi in *Generationibus vestris* (2.) Transgressio igitur legis forensis, & ceremonialis, non potuit pænam irrogare gentilibus, quippe ad quos hæ leges non pertinebant. Ubi enim nulla lex, ibi nulla fingi potest transgressio. (3) Gentiles autem puniuntur etiam propter transgressionem prohibitionum, quæ extat Lev. c. XVIII. quando contra illas prohibitiones, incestas & nefarias nuptias contraxerunt, quod patet ex L. c. XVIII.

v. 24.

v. 24 v. 28 quos versiculos allegavi. Ergo illæ prohibitiones obligant gentes. Ergo sunt Juris non Forensis non ceremonialis, sed moralis, sive Juris naturæ. Hinc nascitur argumentum.

Quæcunque Jura sive præcepta obligant omnes gentes iisque propter transgressionem pœnas irrogant, illa non pertinent ad Jura ceremonialia & forensia Judaica, sed ad Jura naturalia.

Atqui Jura sive præcepta de vitandis nonnullis gradibus consanguinitatis & affinitatis Levit. c XVIII. proposita, obligant omnes gentes, iisque propter transgressionem pœnas irrogant. Ergo!

MAjor certa est ex definitione Juris naturæ, jam ante proposita quam ipsa Adsertio art. I. n. 4. probare cogitur. Sicut etiam Bellarm. de Matrim. Sacr. l. I. c. 27. pag. mihi 1. n. 89. Minor fundamentum suum habet in textu Levit. c. XVIII. v. 24. *Omnibus his polluta sunt gentes istæ, quas ego dimitto à facie vestrâ. Et v. 28. quemadmodum* (terra) *evomuit gentem illam, quæ vobis est exposita.* Et Lev. c. XX. v. 23. *Quia omnia ista fecerunt* (gentes) *ideo tæduit me eorum.* Stat igitur conclusio pedi insistens constrato. Adsertio quando hoc argumentum refutare debeliat, tacet Pythagoricè, & me remittit ad Responsum Juris sub n. 445. seqq. sed & inibi nihil invenio solidi. Nam author Responsi Juris omnia (ut videtur) exscripsit *ex* l 1. c. 27. *Bellarm. de Matrim. Sacr.* Omnia ergo illa Jesuitica sunt & papismum redolent. Sed ad rem! Num. 445. negat omnes leges de prohibitis gradibus obligare alias gentes præter Judæos, *Nec verò* inquit *obstat textus* L. XVIII. v. 24 & seqq. *Quæ enim ibi de peccato Cananæorum & aliarum gentium proponitur locutio universalis, ea vel restringi potest ad præcipua ejus capitis delicta, de concubitu cum masculis, cum bestiis, cum parentibus ac liberis, & de adulterio* &c. Eadem responsio allegatur â Bellarm. citato l. 1. c. 27. §. Responderet. Sed addit ipse Bellarm. *non videtur solida solutio.* Licet sit solutio & responsio papistica. Rationem addit quod Levit. c. XX. v. 22. hæ pœnæ in gentiles immediatè subjiciantur post prohibitiones graduum cognationis. Ne quis putet pœnas illas Levit. c. 18. v. 24. restringi tantum ad concubitum cum masculis & bestiis, de quo præcedens v. 23. loquebatur. Addo verba textus sunt perspicua. Nam Lev. c. XVIII. v. 24. sic habent; *Ne polluite vos ullo horum, quia*

omnibus his polluta sui e ista, quas ego dimitto à facie vestra. Post v. 26 *observate statuta mea & judicia mea neq; facite ullam ex omnibus abominationibus.* Et v 27 *Nam omnes abominationes istas fecerunt homines istius terræ.* Hinc concluditur. Gentes propter omnia illa sunt ejectæ. Sed inter illa omnia etiam fuerunt conjugia prohibitorum graduum, quod oculus legentis videbit, quando citata Levit. capita percurret. Ergo etiam propter transgressionem, prohibitorum graduum ejectæ sunt istæ gentes. Et nusquam legimus. Gentes propter quædam gravissima delicta, propter concubitum cum masculis & bestiis &c. tantùm ejectas esse, uti ipso Bellarmino teste, ineptè colligit Responsum Juris, sed propter omnia illa, quæ in his capitibus recensentur & prohibentur, quorum complexu quoque comprehenduntur prohibitiones in gradibus ibidem interdictio. Ergo numerus 446. nihil habet solidi. Et prodit titubantem conscientiam, quando his verbis utitur. *Locutio universalis vel potest restringi ad præcipua ejus capitis delicta.* Potest restringi, sed à posse ad esse non valet consequentia, vetus est verbum. Hinc Responsum Juris rem aliâ aggreditur viâ N. 447. & dicit: *Conjunctim omnia delicta ibi enumerata intelligi, ut non propter singula illa peccata digna Judicata fuerint gentes, eradicatione* &c. Sed idem dixit & docuit Bellarm. l. 1. de matrim. Sacr. c. 27. §. Est tamen pag. 2600. Edit. Lugdun. per Pillehottium, ex quo hæc sunt deprompta. Quamobrem redit responsio jam jam data. Propter omnia delicta ejectæ sunt gentes, sed inter illa omnia fuerunt etiam conjugia c. XIIX. &c. XX. interdicta. Ergo etiam propter illa conjugia interdicta. Sed prælicenter contracta, etiam ejectæ sunt gentes. Alia scelera aliis graviora esse, quæ in citatis capitibus prohibentur, non cadit in disceptationem, sed nuspiam legitur, quod tantum ob quædam delicta graviora gentes audire coactæ sint. *Veteres migrate Coloni!* Sic etiam in hoc emplastro, non sunt Sarcotica. Pergit consilium n. 448. *Id confirmatur, inquit, exemplis Patriarcharum, Abrahami, Jacobi, Amrami, qui omnes in gradibus à Deo expresse prohibitis matrimonia contraxerunt. Unde tale construi potest argumentum, pro adstruenda hac responsione.*

Quicunq; fecerit abominationes, propter quas Deus gentes extirpare minatus est, illum Deus extirpare voluit è medio populi sui.

ATqui Deus Abrahamum, Jacobum, Ammamum non voluit extirpare è medio populi sui. Ergo Abraham, Jacob, Ammm non fecerunt abominationes, propter quas Deus gentes extirpare minatus est. E. per consequens matrimonia ab illis contracta non fuerint ex illis delictis, quæ digna sunt pœnis à Deo propositis. Hæc iterum ex Bellarm. sunt exscripta, videlicet ex citato capite §. *verum esse.* Interim argumentum tale non architectatur Bellarminus, quale nostra Adsertio hic fabricat, sed minus affabrè. Paucis ostendam ubi impingit. Responsum Juris adserit n. 447. *Non propter singula illa peccata digna fuerunt gentes eradicatione, sed propter omnia simul sumta. Pergit n. 448. & dicit: hoc confirmatur exemplis Patriarcharum in gradibus prohibitis matrimonia contrahentium.* Postea sequitur syllogismus, quem jam jam ex Responso Juris in scenam protuli. Ubi annoto quæstionem esse. An gentes non ob singula sed omnia peccata Lev. c. XVIII. prohibita sint ejectæ? Responsum Juris affirmat, idque probat exemplis Patriarcharum. Jam nôrunt Tyrones Logici, quod quæstio probanda, in syllogismo sit fiatque conclusio. Sed in hoc syllogismo, quem Responsum Juris format, quæstio probanda in conclusione desideratur, quæ talis esse debebat. Ergo gentes non propter singula, sed omnia peccata ejectæ sunt. Sed ibi in citato syllogismo alia conclusio enascitur. Ergo Abraham Jacob &c. non fecerunt anominationes, propter quas Deus gentes extirpare minatus est. Deinde, quia de omnibus delictis conjunctim loquitur Responsum Juris, sic formare debuisses syllogismum,

Quicunque fecit omnes obominationes propter quas Deus gentes extirpare minatus est, illum Deus extirpare voluit è medio populi sui.

Atqui Deus Abrahamum, Jacobum &c. non voluit extirpare è medio populi sui.

E Abraham, Jacob &c. non fecerunt omnes abominationes, propter quas Deus gentes extirpare minatus est.

Hunc syllogismum facili negotio concedo, sed illius conclusio me non ferit. Quia non quæritur, non controvertitur inter nos, An Abraham omnia scelera perpetraverit, quæ Lev c. XVIII. prohibentur, sic Responsum Juris miscet cœlo terram, conchylia turdis. Et quid hoc est, quod Major & Minor de voluntate Dei loquitur, cum hic potius attendendum quid Deus propter scelera Jure justo facere

potuerit

potuerit ac debuerit quam quid facere voluerit. Sed hoc obiter. Cur autem Deus Abraham & alias Patriarchas non ejecerit, has causas subministrat Bellarm. loco jam ante citato. Quia videlicet *non temerè, sed cum ratione id fecerint, quia ad ista conjugia non adjunc erint quævis scelera, ob quæ gentes propriè punitæ sunt.* Prius autem scripturæ sacræ planè est ignotum, & in cerebro Bellarmini, annuente Lucinâ natum. Jam propiùs ad rem. Deus ob contracta jam interdicta matrimonia etiam ejecit gentes, quippe quæ inter omnia illa delicta locum habebant suum. Sed ob talia contracta conjugia non ejecit Abrahamum, Jacobum &c. Hinc non potest concludi, quod illa conjugia Patriarcharum contra Legis prohibitionem non fuerint contracta. Vel quod Patriarchæ ideo non meruerint ejici è terra, & quod etiam gentes non meruerint ob talia matrimonia prohibita ejici, cùm hic paritas se ostendat, quo tendit Bellarminus & Responsum Juris ex Bellarmino. Verum enim vero. Quis hic non videt fallaciam parium satis prominulam in subjectis. Patriarchæ erant regeniti, gentiles irregeniti, hoc est, illi erant in statu gratiæ: Hi in statu iræ. Gentiles ex prava & pruriente libidine, deditâ operâ, εἰς πάθη ἀτιμίας ruebant. Rom. c. I. Patriarchæ communi errore, & moribus tunc receptis decepti aberrârunt. Et quid Gentiles, qui veritatem Dei quam habebant, in injustitia detinebant; qui veritatem illam mutabant in mendacium, qui horrendam exercebant idololatriam contra insitum lumen, & notitiam inditam, quippe qui cognoscebant τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ quod qui turpissima committunt, morte digni sunt, at non tantum ea nequiter faciunt, sed factis delectantur, & assentiuntur iis, qui talia faciunt. Vide Epist. ad Rom. c. I. v. 18. 25. 23. 32. Ergo Patriarchis propter venturum Messiam, fide apprehensum, tecta erant illa peccata, sed super gentes prodigiose ferocientes mansit ira Dei, quæ ideo ex terra has scorias ejiciebat. Et sic Responsum Juris nihil proficit suo argumento, sed valde hic impingit, quando putat matrimonia ab Abrahamo, Jacobo &c. contracta non fuisse digna pœnis à Deo propositis, ex illo fundamento, quod Deus Patriarchas illos ipso actu non ejecerit.

Adsertio à N. 14. ad N. 17. inclusivè.

NUmerus 14. asserit, *argumentum meum secundum à Responso Juris prostra-*

concumbat, vel cum noverca rem habeat. *Quod cum sororibus se commiserat.* Responsum Juris concubitum vocat in linea recta, & in primo gradu ex latere. Ergo nullo modo potest negare, quod exprobrata illa ab Ezechiele Jure naturæ sint prohibita, quod etiam in adducto loco Amosii expressis verbis dicitur. Sed hic planè nihil ad meum argumentum respondetur, quod etiam hoc loco in Responso Juris ne quidem proponitur. Frustrà igitur Adsertio me remisit ad Responsum Juris. Sic mittor in Hispaniam, allatum elapsâ hieme inibi gelu concretæ glaciei crustas. Redeo igitur ad Adsertionem, quæ dicebat malè inferri, *Prophetæ exprobrant Judæis quædam contra Jus naturæ perpetrata. Ergo propter transgressionem certorum graduum etiam gentiles arguunt.* Relondeo filius concumbens cum matre, cum noverca, frater cum sorore, pater & filius, ad eandem accedentes, puellam extremè peccant in gradus Levit. c. XVIII. prohibitos, quod nemo sanæ mentis negat. Quæritur an hæ Prophetarum conciones & exprobrationes ad solos Judæos pertineant. Nego in Gamologia & dico. Hæ increpationes ex fontibus Juris naturę haustę, sunt generales & sic delinquentes gentiles non excludunt. Probet Adsertio, quod excludantur gentiles, sed hoc facere non potuit ullo verbo. Et quàm inepta sunt illa, quæ opponit. *Incertum esse an gentes eo tempore talia delicta quæ hic de Judæis dicuntur, contra Jus naturæ commiserint.* Si Adsertioni hoc incertum est, profectò hoc suo incerto nihil probat. Quod autem gentiles tempore Ezechielis contra prohibitos gradus Levitici, non peccârint, ubi hoc legitur? Dominus dicit Levit. c. XVIII. v 24. quod omnibus illis abominationibus se polluerint gentes Paulus has abominationes gentium ostendit Rom. c. 1. Facit hoc Scriptura alibi, & in profanis historiis occurrunt Persarum & aliarum gentium contra prohibitos gradus commissa scelera. Sic ejusdem farinæ est. *Prophetas præterquam ad Judæos, non esse missos.* Si hoc universaliter verum est, quomodo Jeremias in Ægypto munere Prophetico functus est 77. anno? Quomodo Ezechiel contra Babylonios concionatus est, imo in ipsa urbe Babel? an non Daniel in aulam Nebucadnezaris adscitus est, & tanquam magnus Propheta inter gentes sub Nebucadnezare, Evilmerodacho, Regassare, Lebassardacho Belthazare, Dario & Cyro, non absque mirabili providentia & dispositione divina vixit & docuit. Sed crassius est quod addit Adsertio

Prophetas praterquam ad Judaos non locutos esse. Nostri illiterati ex summariolis capitum legunt & sciunt contrarium. Videantur Esa. c. XIII. ubi loquitur contra regnum Babylonicum, & c. XV. contra Philistæos, & c. XVI. contra Moabitas & c. XVIII. contra varios populos. Jer. c. LI. contra Babel, & sic consequenter. Nec ipsæ gentes eâ tempestate nesciebant, prædictionibus in Judæa natis ac promulgatis respondere eventum, hinc de illis sœpe quæsivisse satis solicitè, nullum est dubium. Vide D. Frantz. schol. sacrif. disp. 4. th. 42. sic impingimus nimis crassè, quando è digestis in Biblia crudè irrumpimus, & Chemnitios, Herhardos, aliosque magni nominis, & laboris Theologos inter Nanos nunciamus, quos tam facilè possimus prosternere, quam stipulam accendere. Apage! Porro, Adsertio obvolitat hic cum Noachi columba, non inveniens ubi pedem figat. Ergò sic pergit currere in suis Eccentricis. *Si ad gentes facta essent tales increpationes, non sequi, quod ista peccata, qualitatem prohibitionis Juris naturæ induant.* Respondeo. Quæcunque prohibitiones non solos Judæos obligant, iisque pœnas inferunt, sed præterea omnes obligant gentes, iisque ob transgressionem graves patiunt pœnas, hæ non possunt ad leges ceremoniales & forenses, sed ad legem moralem; sive ad Jus naturæ referri, quod patet ex definitione hujus Juris, ex epist. ad Rom. c. II. exstructa. Atqui prohibitiones Levit. c XVIII. enumeratæ tales sunt. Ergo. Major est certa & jam ante probata. Minor patet ex Levit. c. XVIII. v. 24. & ex reprehensione generali, quæ tam ad gentiles, quam ad Judæos excurrit apud Ezeh. c. XXII. Amos c. II. Quod Adsertio nullo verbo prostravit, quippe quæ restrictionem reprehensionum harum Propheticarum ad solos Judæos, nullo Jota hactenus probare potuit. Stat igitur argumentum meum illibatum. Et huic nihil obstat, quod recta ratio apprehendat ac norit, quæ Juri naturæ arietem intorquent. Interim hæc recta ratio apud omnes homines in gentilismo non semper agit excubias, quemadmodum fieri par erat. Plurimi enim sunt, quorum cor obtenebratum est, qui tam liberè contra Jus naturæ peccant, ac si nullum tale lumen iis esset inscriptum. Vide Rom. c. I. Plurimi sunt ἀπηλγηκότες, dedolentes, uti Paulus loquitur, qui planè occalluerunt, nullius conscientiæ homines, qui dolere desierunt, apud hos Jus naturæ se non exerit. Hinc ex negato actu secundo non actutum negari potest actus primus, De quo infra latius.

Adser-

Adsertio Num. 18.

PRogredior ad n. 18. qui ita differit. *Argumentum de Herodis cum fratris viventis uxore adulterio, & incestu privigni cum noverca adeo vacillat, ut nullâ arte possit sustineri per deducta in Responso nostro n. 466. seqq. Et vero qua consequentia? In novo Testamento reprehenditur adulterium, & incestus cum fratris viventis uxore, & privigni cum noverca. Ergo ibi etiam prohibita sunt omnes nuptiæ, quarum fit mentio in Veteri Testamento. Levit XVIII. Aut qua alia adversarii hæc sequela? adulterium & incestus cum fratris viventis uxore, & privigni cum noverca vi legis Evangelicæ sunt Jure naturæ prohibita. Ergo etiam reliquæ nuptiarum species in Levitico propositæ, ejusdem legis Evangelicæ vigore ex Jure naturæ prohibitæ veniunt; & in specie cum defunctæ uxoris sorore ac ejusmodi similes.*

Consideratio.

ADsertio (1.) Argumentum meum desumptum ab exemplo sive facto Herodis fratriam ducentis. & incestu privigni cum noverca. 1. Cor. c. V. v. 1. valde vacillare putat, sed argumentum ipsum non audet candidè in scenam producere. Innuit tantum, unde istud desumpserim, sed reticet quomodo illud in Gamologia formaverim, quod non est boni disputatoris, sed de hoc pluribus infra. (2.) Patere hoc existimat per deducta in Responso Juris. n. 466. seqq. Videbo igitur numerum citatum prænominati Responsi cum nonnullis sequentibus. Ubi præmonitum discupio lectorem, Jesuitica illa esse, quæ hoc loco in Responso Juris legantur, & ex Bellarmino iterum descripta esse, hoc tantùm discrimine, quod Bellarminus magis perspicuus & fluidus est. Responsum Juris autem hic magis obscurum & coactum. Incipit igitur Responsum n. 466. (1.) *Per increpationem Johannis Baptistæ Herodi factam non probatur, eam in respectu N. T. & abrogatæ legis Judaicæ factam esse: Non enim Johannes Baptista, implevit vel abrogavit legem veterem, nec N. T. conditor erat, quin potius ipse testetur, se alium post se venientem expectare, qui Spiritu Sancto baptizaturus sit, cujus tantum viam præparet. Num. 467. Ideoq; eo tempore Herodes & Judæi adhuc constringebantur obligatione Legis Mosaicæ: Lex enim & Prophetæ usq; ad Johannem, deinde regnum Dei annunciatur. Luc. c. XVI. v. 16. Num. 468. Et solus Christus legem adimplevit. Matth c. V. v. 17. Hebr. c. X. v. 10. seqq. Num. 469. Unde sequitur Herodem non ex nova*

lege, sed ex vetere lege Mosis adhuc obligatum à Johanne Baptista esse reprehensum, quod contra legem Mosis, uxorem fratris duxerat uxorem, ex qua tamen proles extabat, filia Herodiadis, qua Sancto Propheta caput saltando ademit. Num. 470. Neq; ex ista Baptista responsione inferri potest matrimonium cum defuncti fratris vidua contractum, Jure natura prohibitum esse, cum Herodes non viduam defuncti fratris, sed uxorem fratris viventis Philippi rapuerat, & matrimonio sibi junxerat, atq; sic in adulterio & incestu vivebat, uti id ex Josepho rerum Judicarum historico, Nicephoro, Hieronymo & aliis probatur. Hæc sunt illa omnia, quæ in Responso Juris de hoc themate leguntur, quæ tamen accuratius proposuit Bellarminus l. I. de Matr. sacr. c. 27. lit. D. idque contra tertium argumentum Chemnitii. Respondeo (1.) Tempore Johannis nondum viguisse Novum Testamentum, sed legem Mosis; Johannem non fuisse conditorem N. Testamenti, Johannem ultimum Prophetam V. Testamenti fuisse, uti illum vocat Bellarminus. Responsum Juris illum Sanctum vocat Prophetam. Ergo quia ministerium Johannis ad V. Testamentum pertinebat, Herodes & Judæi eo tempore constringebantur obligatione legis Mosaicæ. Hoc est, quod ex Bellarm. urget Responsum Juris. Sed falsissimum est & spissus error, ministerium Johannis ad V. Testamentum pertinuisse. Certè pertinuit ad novum Testamentum, quod ad oculum ostenditur. Quia Malachias concludit canonem V. Testamenti, & apertè prædicit post se non venturum Prophetam, quales erant illi in V. Testamento, sed Eliam esse venturum Mal. c. IV. v. 5. Hic Elias erat Johannes Luc. c. I. v. 17. Matth. c. XVII. v. 12. hinc ipse Johannes negat se esse Prophetam Joh. c. I. v. 21. apertè contra Responsum Juris. Christus illum vocat *excellentiorem Prophetam* Matth c. XI. v. 9. (2.) Johannes Christum digito monstravit Joh c. 1. v. 29 Ergo de Christo venturo non prophetavit, & sic Propheta non fuit, (3.) Ministerium Johannis expressis verbis refertur ad initium Evangelii Jesu Christi. Marc. c. I. v. 1. 24 Istud est ad prædicationem de Messia exhibito, publicè jam cœptam, qualis concio per naturam ad V. Testamentum pertinere nequit, nisi quis præsens mutare velit in futurum & retro, (4) Johannes baptizat. Marc. c. 1. v. 4. Joh. c. 1. v. 28. sed Baptismus est Sacramentum Testamenti N. Ergo ministerium Johannis de Christo exhibito concionantis, & simul baptizantis, necessariò ad N. Testamentum pertinet.

Ego hoc fundamentum cadit, quemadmodum cum impetu ruunt *subductis tecta c... mnis.* Regerit autem Responsum Juris duo. Primum ex *Matth. c. III. v. 11. Johannes expectat post se venturum & igni baptizaturum. Ergo ministerium ejus ad V. Testamentum pertinet.* Respondeo. Juris Responsum vel intelligit verba, quæ citat ex Matth. c. III. v. 11. *qui post me venturus est*, prout de ortu loquuntur, hoc sensu expecto venturum Messiam, qui nondum natus est sed nascetur. Hoc sensu concesso, sic colligi potest. Istud tempus quo nondum natus est Messias pertinet ad V. Testamentum. Sed tempore Johannis dicentis, se expectare venturum Messiam, nondum natus erat Messias. Et sic illud tempus dicetur tempus V. Testamenti. Aut Responsum Juris citata verba de ortu Messiæ non intelligit. Si prius spisse errat, cùm certum sit, illa verba Matth. III. v. 11. non de ortu, sed de publica prædicatione & ministerio Messiæ loqui, quod ex Harmonia D. Calixti & aliis disci potuisset. Et si de ortu intellexeris, ita cogeris exponere, qui post me veniet posterior docebit & baptizabit. Gerræ siculæ! Vide quoque Joh. I. v. 26. In medio vestrum stat &c. Si posterius intelligit, nulla est in argumento cohærentia, sed miserum erit ac pallidum, quemadmodum Hadriani animula ad ultimum se accingens iter, sanè Bellarminus hoc argumento non est usus in loco allegato, nec memini me illud alibi legisse. Alterum quod regerit Responsum Juris cum Bellarmino, haustum est ex Luc. c. XVI. v. 16. Lex & Prophetæ usque ad Johannem. Intelligunt hoc inclusivè, quasi Johannes ad legem & Prophetas, & sic ad V. Testamentum pertineat. Respondeo qui textum Græcum annotat, & Lucæ locum confert cum Matth. c. XI. v. 13. Nam omnes Prophetæ & ipsa lex ἕως ἰωάννου προεφήτευσαν usque ad Johannem Prophetarunt, is videbit facilimè hæc verba necessariò intelligi exclusivè, ut Johannes non possit accenseri legi, Prophetis & sic V. Testamento. Qui autem inclusivè ea intelligere voluerit, ostendat quæ nam sit illa lex, ille Propheta, qui post Johannem de Christo venturo prophetaverit? Nullus & Nemo! Porro urget Responsum Juris Christum implevisse legem. Sed hoc vagatur extra oleas, eâ de re planè non disceptatur. Accedit n. 469. *Herodem non ex nova lege sed ex veteri lege Mosis adhuc obligatum, à Johanne esse reprehensum.* Respondeo. Rectè hoc pro me dici. Hinc concludo.

Ergo tempore N. Teſtamenti vetus lex Levit. cap. XVIII. cum ſuis prohibitionibus obligavit. Quæ autem in N. Teſtamento obligat lex, illa non pertinet ad legem forenſem, nec ad ceremonialem, ſed ad legem moralem, cum illæ tam Forenſes quàm ceremoniales jam ſepultæ ſint Gal. c. VI. v. 15 Coloſſ. c. II. v. 16. 17. Et ſic rectè colligit Gamologia l 2. tit. 5. p. 368. ſyllogiſtice ita. Omnes prohibitiones legales, in N. Teſtamento prohibentes & obligantes pertinent ad legem moralem. Atqui omnes prohibitiones legales Levit. c. XVIII. extantes in novo etiam Teſtamento prohibent & obligant, quod infra pluribus oſtendam. Ergo! Hoc argumentum meum, uti ſupra queſtus ſum, Adſertio reticuit & ſepelivit, quâ fronte ipſa viderit. Nec tantum diſcurſum meum, ex quo reſultat jam recenſitus ſyllogiſmus, reticuit ac præteriit Adſertio, ſed ſubdolè mihi affingit aliena, quæ mihi nunquam in mentem venerunt, quando dicit: *Et verò*, inquit, *quæ conſequentia? In N. Teſtamento reprehenditur adulterium, & inceſtus cum fratris viventis uxore, & privigni cum noverca. Ergo ibi prohibitæ ſunt omnes nuptiæ, quarum fit mentio in V. Teſtamento Levit. c. XVIII.* Videt eruditus lector, quod hæc concludendi ratio non ſit mea, nec in Gamologiâ reperta à quoquam. Et paulo poſt pergit Adſertio. *Aut quæ alia adverſarii ſequela? Adulterium & inceſtus cum fratris viventis uxore & privigni cum noverca, vi legis Evangelicæ, ſunt Jure naturæ prohibita. Ergo etiam reliquæ nuptiarum ſpecies in Levitico propoſitæ & in ſpecie cum defunctæ uxoris ſorore.* Repono paucis (1.) Hanc argumentationem ex Gamologia mea oſtendi non poſſe, quippe quæ longè aliter concludit, uti jam jam monſtravi. (2.) Quod Johannes adulterium Herodis tantùm oſtenderit, hoc fallit. Nam Matth. c. XIV. v. 4. & Marc. c. VI. v. 18 dicit Johannes non licet tibi (ἔχειν) habere eam in uxorem. At vox ἔχειν de conjunctione matrimoniali uſurpatur Matt XXII. v. 28. Marc. c. XII. v 23. NB. Joh. c. IV. v. 17. Ergo Johannes ipſum conjugium in tali gradu propinquitatis in N. Teſtamento acriter reprehendit ex Levit. c. XVIII. v. 16. Interim facile conceditur, plura hic peccata concurrere. Inceſtum hic agnoſcit Adſertio cum Bellarmino, & rectè, ſed inceſtus proprié committitur contra legem naturæ. Addit Herodem habuiſſe *non fratris viduam ſed fratris viventis uxorem.* Reſpondeo, Joſephus

sta narrat, quem alii secuti sunt. Sed hoc valdè incertum est, quia in hac historia impingit Josephus, quando Herodis fratrem appellat Herodem, quem Marcus expresse Philippum vocat, nec verosimile est, duos fratres ὁμωνύμους fuisse. Hinc ipse Augustinus narrationem Josephi dudum in dubium vocavit, quod nimirum tum non amplius vixerit Philippus. Plus etiam mihi affibulat Adsertio. *Quasi statuam vi legis Evangelicæ fratriam prohiberi.* Ego autem ad ravim usque inculcavi locum Levit. c. XIIX. v. 10.18. ex quo princeps argumentum meum derivavi, cui reliqua succenturiare placuit. Postea si hoc Levitici caput complectitur leges Evangelicas, non nego me ex Assertione hoc didicisse, quod ante hac nescivi. Mira distinctio inter leges legales & evangelicas. Papistæ quidem docent Christum ideo venisse, ut nova præcepta in Evangelio proponeret, quæ præceptis in lege divinâ traditis, sunt perfectiora. Vulgariter consilia evangelica, quæ opinio fœcunda est genitrix operum supererogationis. Sed quid suis legibus evangelicis hic velit Adsertio, non facilè dixerim. Cœterum Coronidis loco hoc urget Adsertio. Malè colligi: *Quædam prohibitiones in Levitico sunt Juris naturæ. Ergo reliquæ nuptiarum species in Levitico propositæ, ejusdem legis evangelicæ vigore ex Jure naturæ prohibitæ veniunt.* Bellarminus idem opponens, hic brevis est & perspicuus. *Non ideo*, inquit, *præcepta omnia de gradibus esse naturalia, quia unum vel alterum est naturale.* Respondeo. Recte colligi omnes prohibitiones Levit. c. XVIII. à Mose perscriptas esse Juris naturæ. Nam (1.) Generalis prohibitio *v. 6. Nemo ad propinquam carnis suæ accedat*, est Juris naturæ, quod occulta vi veritatis victus ipse Bellarminus fateri cogitur l. I. de Matrim. sacr. c. XXVII. Lit. D. §. Respondeo. Ubi sic scribit. *Omnia illa præcepta de gradibus cognationis sunt aliquo modo naturalia* Et paulò post: *Nam certè. illa propositio generalis. Lev. XVIII. Ad proximam sanguinis sui nemo accedat Jus naturæ complectitur, & ideo etiam in singulis præceptis de gradibus, reperitur vocabulum turpitudo, quia turpe est cum cognatis matrimonium contrahere, cum natura ipsa dictet, reverentiam quandam illis deberi, cum qua pugnat copula carnalis.* En vim veritatis! Jam pergo. Omnes reliquæ prohibitiones in allegato Levitici capite, ex generali illa, quæ Juris naturæ est, derivantur, illique subjiciuntur, imò per species, illa carnis propinqui-

tas, quæ matrimonium non admittit, postea exponitur, & sic omnes unius generis sunt, quia carnis aliquam propinquitatem prohibitam ex generali illa v. 6. involvunt & suo circumplexu cohereant. Id quod eâdem operâ generalis conclusio accuratè probat. *Anima quæ fecerit NB. ex abominationibus suis quippiam, peribit de medio populi sui.* Claudo nunc hosce rivulos, & non dissimulo me stimulari aliquo appetitu audiendi rationes robustas ac Herculeas hoc probantes. Prohibitiones quasdam Levit. c. XVIII. planè exuisse in N. Testamento vim suam obligatoriam & sic non omni tempore, nec omnes in orbe populos amplius obligare. Adsertio hoc unicum probet solidè, dum in eo suam intentionem fundare satagit, & coronæ murali propior erit. Si alter autem ceciderit alea, agnoscat cum eruditis, præcepta omni tempore, omnes gentes obligantia ad legem moralem, sive Jus naturæ unicè pertinere, quod negare nequit, nisi Juris naturæ definitionem simul negaverit.

Adsertio n. 19.

ADsertio ita adserere pergit. *Quartum argumentum mole ruit suâ ut probatum in Responso nostro n. 422. seqq Non enim necti potest ejusmodi sequela. Quædam prohibitiones graduum circa nuptias cognitæ sunt à gentibus Jure naturæ facta, exempli causa inter fratres & sorores. Ergo omnes prohibitiones Lev. c. XVIII. comprehensæ, & in specie cum defunctæ uxoris sorore. Nisi contra regulam Logices, & rectæ rationis colligere ex propositione particulari ad universalem, & ita partem conclusioni fortiorem dare quam alteri præmissarum, aut à separatis & diversis, certi quid inducere velis. Hæc si secum paulo melius ponderâsset adversarius, tum forte prædecessorum suorum argumenta inutilia, novo ac falso colore & fuco exornare erubuisset.*

Consideratio.

OStendi in consideratione numeri præcedentis. Omnes prohibitiones Levit. c. XVIII. esse Juris naturæ. Hinc resultat universalis propositio. Quicunque ad proximam carnis accedit, is graviter peccat. Atqui is qui ad defunctæ uxoris sororem accedit is ad proximam carnis accedit. Ergo! Utrumque supra probatum est. Quilibet igitur videt, quod hic non concludam à particulari ad universale. Cæterum legatur Gamologia lib. 2. tit. 5. pag. 368. ubi argumentum meum

meum quartum extat. Num ibi obſervavit Adſertio ullum verbum vel veſtigium hujus argumentationis, quam hoc numero mihi affricare audet. *Quædam prohibitiones graduum circa nuptias cognitæ ſunt à gentibus honeſtioribus. &c Ergo omnes prohibitiones Levit. XVIII. comprehenſa ab iis cognita ſunt.* Nemo mortalium hanc concludendi rationem in loco citato Gamologiæ meæ inveniet. Provoco igitur ad oculorum teſtimonium. Dico enim ibidem, prohibitiones graduum, cordibus honeſtiorum gentilium inſcriptas eſſe, Rom. c. II. v. 14. At præcedente pag. 365. Dico Omnes (NB. omnes) prohibitiones graduum Levit. c XVIII. eſſe Juris naturæ. Ergo ſequitur, quod omnes prohibitiones Levit. c. XVIII. extantes gentilium cordibus ſint inſcriptæ. Ergo omnes illæ prohibitiones gentilibus honeſtioribus, fuerunt cognitæ. Hæc adamantino nexu cohærent. Nam Jus naturæ per habitum connatum rectè definitur. Hinc omnium animis impreſſum, phyſicè inſcriptum, omnibuſque notum eſt, & apud omnes unum eſt. Neque contrarium evinci poteſt inde, quod lex naturæ apud omnes gentiles, & ſingula individua, ſe non æquè benè exſeruerit, & maniveſtaverit. Aliud enim eſt lex ipſa, aliud, ejus uſus & applicatio. Aliud actus primus, aliud ſecundus. Ex actu autem ſecundo negato, non negatur actus primus, quod oſtendit c. I. epiſt. ad Rom addo exempla. Germani in gentiliſmo ſuo probarunt latrocinia teſte Cæſare l. 6. de bello Gallico. Perſæ inceſtum conceſſerunt. Tribuni Romani ſenum præcipitia è mentibus permiſerunt. Plato communionem uxorum permiſit. Quæ omnia legi naturæ arietem intorquent, quam ſibi nihilominus inſcriptam habebant; licet aliquando illa dormiebat. Sic ipſa latentia non ſtatim ponit rei abſentiam. Infantes carent ratione, quia apud eos latet ratiocinatio. Nulla eſt infantum fides, quia ſe non exſerit. Latuit Eccleſia in Papatu. Ergo periit in Papatu. Inepte! Sed ad ea jam me non demitto. Concludo verbis Adſertionis. Hæc ſi ſecum melius ponderaſſet Adſertio, tam ſtultas argumentationes, quæ non reperiuntur in tota Gamologia mea, tam audacter mihi illinere erubuiſſet.

Adſertio n. 21.

BRevis hic ero. Citavi Morrium J C. Pontificium. Et rectè ipſius verba allegavi, prout extant, *tractatu de divort. part. 2. c. 13. n. 15. pag. 122.*

pag. 122. edit. Friburg. Brisguia Anno 1589. Adsertio, inquit: *scripti Morrii copia nobis non est. Conjicimus autem ipsum non dissidere à Covarruvia.* Sed hæc sola conjectura non est apodictica. Nam Scriptores Pontificii rarò inter se plenè congruunt. Hoc videbit Adsertio, si legere voluerit Azorium l. 5. Instit. Moral. de legib. & constit. qui incipit p. 439. in Exemplar. Romano per Aloysium Zannettum typis exscriptum. Legat Valentiam, Estium, Pisantium, Cajetanum, Bellarminum & videbit quàm turpiter Scriptores Pontificii sibi contradicant, idque ex citatorum autorum propria allegatione. Fallitur etiam Adsertio, si putat scriptores Pontificios nullos in hoc passu à Covarruvia dissidere. Contrarium legi potuisset apud Carrerium JCtum Patavinum, qui tres allegat Scriptores Pontificios celebres, qui docuerunt Pontificem in nullis gradibus, qui in Levitico exprimuntur, dispensare posse lib. 2. de sponsal. & Matrim. pag 92. idque contra Covarruviam & alios, & cur istud docuerint, non potest Adsertioni hærere sub ancipiti. Pergit Adsertio. *Morrium hoc voluisse, omnes gradus hodie, hoc est in N. Testamento prohibitos etiam Jure naturæ prohibitos censeri.* Sit ita. Jam probare debebat Adsertio, quasdam graduum prohibitiones in Lev. c. XVIII. recensitas in N. Testamento vim obligandi amisisse, quasdam autem illam ibidem retinuisse. Sed hoc nuspiam probatum reperio. Ergo solidam hujus negotii probationem expecto. Ego autem contrarium evici ex Levit. c XVIII. v. 6. Nemo in toto terrarum orbe homo accedat ad proximam carnis. Hoc obligat omnes populos Ergo est Juris naturæ, quod ipse Bellarminus concedere cogitur. Sed omnes graduum prohibitiones in toto capite Levitici citato, involvunt talem propinquitatem, de qua versiculus sextus generaliter loquitur, propter quam propinquitatem etiam fit prohibitio, in omnibus sequentibus versiculis. Ergo omnes sunt ejusdem generis cum prohibitione generali v. 6. & sic pertinent ad Jus naturæ. Et consequenter omnes homines obligant. Quicquid est Juris naturæ, utique omnes obligat homines, propter inscriptionem illam Rom. c. II omnibus factam. Et retro; quod omnes homines obligat per inscriptum dictamen, Istud est Juris naturæ. Malè igitur adserit Adsertio, nonnullas prohibitiones in sæpe allegato Levitici loco non ad Jus naturæ, sed ad Jus divinum positivum pertinere. Sic enim illæ prohibitiones Jure positivo obligarent solos Judæos, &

ad leges forenses reducerentur, vel ad leges ceremoniales, quod falsissimum est propter universalem illam. Nullus homo accedat ad proximam carnis. Sed de his infra. Video enim sæpe recalescieri hoc Jasculum positivum.

Assertio à Num. 24. ad Num. 31.

DIcit Adsertio n. 24. (1.) *Quod ad unum argumentum Bellarmini me accingam reliquis omissis.* Respondeo hoc prædico in Gamologia l. 2. t. 5. pag 371. Bellarmini argumenta sigillatim non examinabo, sed saltem argumentum principale, ab exemplis deductum. Gamologia aliud intendit, quod titulus docet, non in refutando Bellarmino Jota occupatur, qui hoc in passu satis ab aliis refutatus est. (2.) Pergit Adsertio his verbis de argumento Bellarmini, quod dicit tale esse. *Prohibitiones Juris naturæ semper obligant etiam ante legem Mosis. Prohibitio cum uxoris sorore, & alia ejus generis non obligarunt, ante legem Mosis, exemplo Jacobi Gen. c. XXIX. Onani filii Judæ, Gen. XXXIIX v. 8. Amrami Exod. c. VI. v. 19. Ergo istæ prohibitiones non sunt Juris naturæ.* Respondeo Adsertio argumentum Bellarmini, non proponit, prout extat in Bellarmino de Matrim. Sacr. lib. 1. c. XXVII. lit C. D. pag. mihi 1590. Nec ita prout repetitur in Gamologia mea. Quæritur quid subsit causæ? Tum etiam Bellarminus in primo exemplo non ita nude loquitur, de uxoris sorore tunc non prohibita, Sed ita loquitur. Primum exemplum sit Patriarcha Jacob, qui duas sorores NB. *viventes simul accepit uxores.* Sed transeat istud. Minima non curat Prætor. (3.) Sequitur in Adsertione. *Ad hoc ita respondet Autor sc. Gamologiæ. Natura abhorret à tali conjugio. Sed cum hæc responsio principium petens, ad neutram propositionum, sed ad ipsam conclusionem data sit contra leges disputandi, eam in medio relinquimus.* Respodeo. Adsertio conglomerat exempla Jacobi, Onani, Amrami, quæ Bellarminus numeris distinguit. Ego autem tanquam diversa in Gamologia non conjungo, sed divido teste oculo. Vid. Gamol. l. 2. tit. 5. pag 371. Adsertio, ne quid gravius dicam, omnia sophisticè conglomerat, & addit. *Ad hoc respondet autor.* Ac si ad hoc exemplorum coagulum responderem. Paulò post dicit. *Ad exemplum Jacobi reponit.* Cum tamen exempla Onani & Amrami nondum tetigerim, & eo Gamologiæ loco nondum posuerim, quæ post aliquot lineas demum sequuntur.

Quomo-

Quomodo ergo respondere possum ad illa quæ nondum sunt proposita? Siccine agit candor! Sic tandem differo. Jacob duas sorores habuit uxores, scilicet uti dixerat Bellarminus, *duas simul viventes acceperat uxores.* Respondeo (1.) Natura abhorret à tali conjugio. (2.) Laban in culpa est, non Jacob: qui Leam pro Rachele substituit &c. (3.) Generaliter quoque responderi potest, non exemplis sed legibus Judicandum esse. Adsertio autem unum membrum responsionis pro tota mea responsione venditat, idque malè Deinde *me ad conclusionem Bellarmini respondere ait, contra leges disputandi.* Sed Adsertio. Hic aut Bellarminum non legit, aut syllogismum ex verbis Bellarmini formatum non benè imbibit. Hæc sunt verba Bellarmini: *Si omnia illa præcepta sc. Levit. c. XVIII. sunt naturalia, semper obligassent etiam ante legem datam:* Pauló post. *Si leges illæ semper obligassent, nunquam sancti viri contra eas matrimonia contraxissent. Habemus autem exempla non pauca sanctorum, qui in lege naturæ, in gradibus in Levitico prohibitis connubia junxerunt.* Fiat syllogismus. Si omnia Lev. c. XVIII. præcepta sunt naturalia, tunc semper etiam ante legem datam obligârunt. Atqui omnia Levitici præcepta, non semper nec ante legem, datam obligarunt. Ergo omnia Levitici præcepta, non sunt naturalia. Majorem pro concessa habet Bellarminus. Minorem probat exemplis sanctorum, contra illa præcepta matrimonia contrahentium. Jam videt Lector, quando dico, à conjugio Jacobi, cum duabus viventibus sororibus simul inito natura abhorret. Hoc non opponitur conclusioni Bellarmini, quæ ex ejus discursu syllogisticè colligebatur, Sed opponitur thesi Bellarmini, quâ hanc suam minorem tantum probare volebat. Sanctos in lege naturæ, in gradibus in Levitico prohibitis matrimonia contraxisse, quod non fecissent, si tunc obligâssent. Id quod exemplis Jacobi, Onani & Amrami voluit demonstratum dare. Dico ad exemplum Jacobi quod natura abhorreat à tali conjugio, & quod Jacobus verè contraxerit contra jus naturæ & gradum in Levitico prohibitum quod certè obligationem eo etiam tempore induxit, quod Bellarminus negabat in probationem moris. Affirmo hoc in exemplo Jacobi. Nego hoc in Exemplis Onani & Amrami. Porro respondeo, quod Laban sit hujus peccati architectus, idque cum scripturæ textu, quod Jacobus quidem non careat culpa, sed quod fides in Messiam texerit hoc peccatum decepti Jacobi. Quod exemplum Jacobi præcepta Levitici non tollat, nec vim obligandi omnes

gentes,

gentes, iis adimat. Sed quòd Levitici prohibitiones hoc exemplum Jacobi damnent. Quid hîc desiderat Adsertio, quæ mea sic pervertit, divisa conjungit, diversa conglomerat! Cæterùm, Adsertio jam suppeditat consilium Jacobo, quomodo declinare potuerit hunc lapsum. *Rachelem,* inquit, *unâ Leâ contentus relinquere poterat, propter amorem Rachelis jus naturæ violare non decebat. Leam poterat dimittere, in cujus nuptias non consenserat.* Respondeo, optima alexipharmaca, sed demum post obitum decumbentis in Pharmacopolio præparata. Sed quid sequitur? *Unde probat ille, illud involucrum criminis per fidem in Messiam?* Respondeo. Quod peccata nostra, & peccata Patriarcharum, per Messiam fide apprehensum ut nunc teguntur, ita olim tecta & remissa sint, non tantum nunc in N. Testamento, sed olim etiam in veteri Testamento id ex libellis catecheticis, & scripturæ dictis discunt anni viridiores. Qui scholam sacrificiorum D. Frantzii litavit, tam miram quæstionem non proponet. Quod attinet novum loquendi modum, de peccatorum involucro, sive integumento, hunc redonabo Africæ nova involucra parturienti. Rursus. *Probare prius debebat crimen incestus contra jus naturæ esse, si quis uxoris sororem duxerit.* Respondeo. Hoc probari ex Levit. c. XVIII. 16. & vers. 18, idque vel centies in hac mea Adsertione Responsi Mosis. Num. 28. refricat Onani factum: Atqui illud non impingere in ullam Legem ostendi ex Deut. c. XXV. vers. 5. expressis verbis. *Si habitantibus fratribus pariter, moriatur primus ex eis, cui filius non sit, ne nubito Uxor mortui foris viro extraneo: Levir ejus congreditor cum ea* &c. Sororium autem ducentem uxoris defunctæ sororem, non impingere in legem Levit. XVIII. v. 18. hactenus nondum probavit Adsertio, ullo Textu, ullâ literâ. Si autem contra textum Deut. XXV. hic disputare voluerit, per me licebit. Num. 29. affert Adsertio, quod ex Jeremia responderim, vocem דוד (Dod) non tantum patruum, vel patris fratrem notare, sed & patruelem, quod claré ostendo ex Jer. c. XXII, quod etiam legere potuisset Adsertio in versione Junii & Tyemellii, imò apud ipsum Lutherum, deines Vettern Sohn. Sic dico fœmininum דודה Dodah) non semper notare Amitam, sed etiam patruelem, sive Amitæ Filiam, quam salvâ omni lege divinâ ducere poterat Amram. Quid ad hoc Adsertio? Locum Jeremiæ non audet repetere, sed omittit, quasi eum in Gamalogia non viderit, nil respondet ad hoc

M funda-

fundamentum. Sed tantùm ita, non absque Stomacho insurgit. *Quid non poterit responderi, & quid certi demum habituri sumus hoc respondendi modo concesso? Inops mentis sit, qui futilitatem hujus sequelæ non sentiat.* Regero. Responsio mea non ex cerebro humano, sed ex Jeremia desumpta est, qui eo significatu posuit vocem Dod, quod etiam Tremellius, Lutherus & alii probant. Quin etiam in cantico Salomonis eadem vox idem notat, quod Amicus. Sicut igitur Jeremias per Masculinum Dod intelligit non Patruum, sed patrui filium: Sic Moses in Exodo per fœmininum Dodah, non intelligit Amitam, sed Amitæ filiam. Et sic licitè contraxit Amram. Et ideò non Jeremias, non Moses inops mentis est, quod ostendit vocum usus, quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi. Idem in aliis linguis usu venit. Sæpè vox varias obtinet significationes, aliud est jugum boum, aliud mortis, aliud testudinis. Hinc nulla enascitur incertitudo, ipsa enim oratio ostendit, quo significatu vox se sistat in periodo. Cæterùm contra illud, quod dixeram, legibus non exemplis judicandum esse. Nimirum Jacob hoc fecit, ergò juxta legem hoc fecit. Hoc non sequitur. Ita potiùs concludendum. Lex vetat, sed Jacob facit vetitum. Ergò Jacob peccat. Excipit Adsertio. *Verùm probandum prius erat, Legem tempore Jacobi & Amrami fuisse contrariam.* Respondeo. Quod attinet duas simul Sorores in Thalamo Jacobi, repeto Christi verba. *Qui fecit ab initio masculum & Feminam &c. is dixit, & erunt duo in carne una. Matth. c. XIX. vers. 45.* & ipse Deus de duobus loquitur scilicet de Masculo & fœmina, idemque præcipit. *Gen. c. II, vers. 24.* Hîc est lex contraria. Amramo licebat Amitæ filiam ducere, quia nullibi gradus ille prohibitus est. Cur igitur Adsertio à me legem contrariam ostendi petit, quæ audivit, quod dixerim licitum fuisse illud conjugium, quod refutare non potuit. Bellarminus suis exemplis probare volebat, sanctos contra legem divinam contraxisse. De conjugio Jacobi dixit. *Expressè prohibetur Lev. c. XVIII, est enim primus gradus affinitatis in linea transversa. Sic de conjugio nepotis cum amita in Levitico prohibitum intelligitur, in exemplo Amrami.* Adsertio vult sibi ostendi legem contrariam tempore Jacobi & Amrami. Sed hoc ipso petit Bellarminum, si enim tempore Jacobi non fuit lex prohibens, quomodo Jacob contraxit contra legem, ubi nulla Lex fuit, quomodo contra Lev 18. uti vult Bellarminus, & rectè. Quia Leviticus

cus tunc non extabat tempore Jacobi. Ergo videtur Bellarminus male citasse Levit c. XVIII. ex mente Adsertionis, quæ tamen stat à Bellarmino tanquam Semiramidis muros, Sed absque ambagibus Adsertioni ostendam legem contrariam, quæ tunc extabat, eratque illa lex, quæ omnium cordibus est inscripta. *Rom. II. vers. 14. 15.* quam vocamus legem naturæ, ad quam pertinent omnes prohibitiones, c. XVIII. Levitici, quod solidè supra probavi. Et sic constat de prohibitione contraria. Concludit Adsertio. *Quid vero per adductum locum Matth XIX. vers. 8. intendat, quod Moses Judæis permiserit dimittere uxores, secus ac initiò constitutum fuerit, Oedipo fortè opus fuerit.* Respondeo. Dilucida sunt Gamologiæ verba. Non explicandas esse leges ex cursu exemplorum, sed exempla ad legum Cynosuram esse conformanda, cujus rei vestigia Christus nobis ostendit *Matth c. XIX. vers. 8.* Huc usque Gamologia. Citatus autem locus sic habet. *Moses ad duritiem cordis vestri, permisit vobis repudiare uxores vestras* Hinc inter vos temeraria divortia nimis sunt frequentia. Exemplorum horum Sicula leges in vestra gente succrevit. *Cæterùm ab initio non fuit sic.* Exempla vestra non faciunt legem, sed vos omnes reducendi estis ad originalem Dei ordinationem & constitutionem. Hinc v. 9. *Dico vobis quicunq; repudiaverit uxorem suam, nisi ob stuprum, is committit adulterium.* Quid dilucidiùs dici potuit? Ergo non opus est oedipo in iis, quæ Davus primo mentis ictu facilè capit. Iinepta igitur hæc ironia fecit ipsum autorem, qui non capit tam perspicua, & apud omnes commentatores obvia. Thrasonicum illud, quod Adsertio adddit. *Ubi nunc est solida illa, quam Autor jactitat responsio ad hoc Bellarmini argumentum, non attingo.* Judicium lectori committo lubentius ipsà Lubentiâ. Interim miserè fallitur assertionis autor, quando credit Bellarmino plures esse tubicines, quàm mihi milites.

Assertio art. II.

An prohibitiones Mosis ad gradus, an ad personas pertineant?

IN Gamologia *l. 2. tit. 5. nota 11.* dico, prohibitiones Levit. c. XIIX. non tantùm ad personas ibi expresse nominatas esse coarctandas, sed ad gradus æquè propinquos pertinere. Idem mecum docent omnes Theologi orthodoxi, & JCti Celeberrimi, paucis exceptis. Hoc

thema argumentis nonnulllis probo. Adſertio dicit n. 1. '*Argumentum primum nobis opponitur hoc modo.* Atqui in toto hoc diſcurſu, nullibi fit mentio Reſponſi juris. Generaliter diſſero, nemini quicquam in ſpecie hîc oppono. Recenſet argumentum meum ſyllogiſticè, quod tamen tali facie nuſpiam invenit in Gamologia. Interim oſtendam illam architecturam, quæ talis eſt in adſertione. *Ubi ponitur generalis prohibitio. Nemo ducet carnem carnis ſuæ, ibi prohibitio non tantum ad perſonas ibi enumeratas, ſed ad gradus pertinet. In Levit: c. XVIII. ponitur iſta generalis prohibitio.* Ergo. Huc usq; Adſertio, quæ ſtatim addit. *Sed quàm fallax ſit connexio majoris, nemo eruditorum non videt, quam illi, uti ineptam negamus.* Reſpondeo. Adſertio majorem vocat ineptam, ſed major illa eſt Adſertoris, non autem mea. Ineptit itaque adſertio, dum talem ineptam format. Si ſyllogiſticè voluiſſem colligere, ita argumentatus fuiſſem. Quicunque generaliter prohibet, ne quis ad propinquam carnis accedat, ille non agit tantùm ſpecialiter & ſtrictè de certis perſonis, ſed generaliter & latè de æqualibus gradibus. Quæro, an hæc major ſit inepta? An adſertio probari hanc velit, nimirum, quod generaliter & laxè prohibetur, id non prohibetur ſpecialiter & ſtrictè. Si hoc probari vult, ſplendidè deſipit. Jam ſubſumo. Atqui Deus per Moſen generaliter & laxè prohibet, ne quis ad propinquas carnis accedat. Ergò. Generalitatem propinquitatis carnis oſtendo, & dico, intelligi propinquitatem, ſive ſit ex carnali generatione, ſive ex carnali copulatione, iſtud eſt, ſive naſcatur ex conſanguitate, ſive ex affinitate, ſive propinqua ſit caro carnis ſuprà, ut mater &c. ſive infra ut filia, &c. ſive ad latera ut ſoror &c. Quid ad hæc adſertio? Nihil omnino! Tantùm quando ſolide reſpondendum erat ſuo more iſta ſcoptice exagitat, quæ refutare nequit. Ideò dicit. *Satis una bolo. Profectò ſi duo iſta verba, caro carnis tantam vim habent, vix in Scriptura alia invenies efficaciora.* Reſpondeo. Si Adſertionis autor non oblitus eſt Dictum de omni & nullo in Logicis, indolemque enunciationum univerſalium, non tam inſipida chartæ hîc illeviſſet. Videbimus Paulum *Rom. c. V. 1, 12. omnes homines mors pervaſit, quatenus omnes peccaverunt.* Hinc enunciationes univerſales enaſcuntur. Omnes homines ſunt mortales. Omnes homines ſunt peccatores. Exponat non nemo univerſalitatem. Omnes Reges ſunt mortales, omnes Philoſophi, omnes Agricolæ, omnes Milites, omnes nobiles, omnes Virgines,

Virgines, omnes opifices, omnes Nautæ &c. Jam exclamabit Adſertio. *Satis uno bolo!* Rarò enim in Pharmacopolio tot ingredientia uni bolo purganti immiſcentur. Addit præterea. Si hæc Pauli verba. *Omnes homines mors pervaſit, tantam vim habent, vix in Scriptura alia invenies efficaciora.* Satis lepide. Pergit Adſertio. *Quia verò hæc mera & inania autoris prolixas conſequentias nectentis verba ſunt, &c. meritò rejiciuntur.* Reſpondeo. Verba illa, quæ Adſertio exagitat, ſunt. D. Chemnitii *Loc. de Conjug.* eadem retinuit verbotenus D. Gerhard. *Loco de Conjugio*, & fere omnes Theologi, qui hac de re ex profeſſo ſcripſerunt, quâ frante igitur adſerit Adſertio, *eſſe mea verba.* Sed quâ fronte vocat *inania verba*, cum illa expoſitio in ipſo textu Levit. c. XVIII. ab ipſo ſpiritu S. ſit oſtenſa, nimirum per carnis propinquitatem intelligi utramque, tam ex conſanguinitate, quam affinitate natam, utramque enim proponit & prohibet, propinquitatem, ſupra, infra, & ad latera expreſſis prohibet verbis. Hæccine ſunt inania! Tædet me talia legere Athenis miſſa, quæ ſi ex Bæotia appuliſſent, faciliùs conquirerentur.

Progreditur Adſertio ad examen argumenti ſecundi, *de paritate in gradibus expreſſis & omiſſis, dicitq; confutatum id eſſe cap. V. memb. 1, l. 22, Reſponſ. n. 346. quæ hic repetere nolit.* Reſpondeo. Quia mihi hoc loco nihil opponitur, nullam indipiſcor reſpondendi anſam, quæ autem citatis locis dicit confutata, illa benevolus lector ibidem poteſt libare, & quam probe confutata ſint, judicare. In argumento tertio conſiderando iterum remittit Adſertio ad *c. V. memb. 2, n. 40. & ſeq. ad Reſponſum n. 374.* Videbit, & hîc Lector, quid rerum iſtis locis agatur. Peto autem ut argumenta mea ſimul legat *Gamol. l. 2, tit. 5. pag. 373.* His ita celeriter dimiſſis, luſtrat reſponſiones meas ad argumenta in contrarium propoſita. Et incipit. n. 7. *Fatetur Moſem ignoraſſe graduum computationem. Hoc nil ad rem eſſe autumat. An igitur juxta gradus Moſes prohibuit matrimonia, de quibus ipſi nihil erat cognitum? Quam temere! At inſtat, naturalis propinquitas. NB. ex conſanguinitate & affinitate orta, nota fuit, prohibita fuit, & adhuc prohibetur, quocunq; tandem modo ſupputatur ac numeratur in ſuis gradibus.* Sic loquor in Gamologia. pag. 374. ſed Adſertio ſuo more quædam verba mutat, quædam omittit, provoco ad teſtimonium oculorum. Pergit. *Sed quid inde? Certè non hoc: Ergo Moſes omnes perſonas, ſub eodem gradu*

contentas prohibuit. Hac enim ratione gradus prohiberi necessum erat, non certas personas. Sed Moses certas personas, non verò quatenus sub gradu certo comprehenduntur, ex mandato Dei inter se misceri prohibuit. Ergo non alias sub eodem gradu contentas, cujus cognitionem non habuit. Equidem largimur, Mosi notam fuisse omnem propinquitatem ex consanguinitate & affinitate. Sed negamus isto tempore omnem illam ab adversario præsuppositam propinquitatem fuisse causam prohibitionis. Hoc enim est, quod ipse probare, si potest, tenetur Et si fuit, non tamen exinde obligatio extra rempublicam Judæorum viventium inde extrueretur. Huc usque Adsertio. Paucis respondebo ad singula. (1) *Moses juxta gradus non prohibuit, qui ei non erant cogniti. Quum temerè?* Respondeo. Quæstio non est, An Moses juxta gradus prohibeat? Hoc Adsertio non legit in Gamologia l. 2. tit. 5, pag. 375. Sed ita legit, si lecta candide repetere voluisset, An prohibitiones Levit. c. XVIIII. tantum ad personas exprefse nominatas, an vero ad gradus æquè propinquos pertineant? Prius negatur, posterius adfirmatur. Jam addo, etiamsi concessero, gradus, vel modernam computationem graduum Mosi fuisse ignotam, eo ipso nihil obtineri ab illis, qui hoc argumento utuntur. Quia, licet computatio Mosi fuisset ignota, interim omnis illa prohibens propinquitas sive ex consanguinitate, sive ex affinitate orta, Mosi fuit notissima, & hanc propinquitatem naturalem non mutat usitata graduum Computatio, nec potest, quia illa propinquitas in carnis propagatione, & in carnis copulatione suum habet fundamentum. Ergo Mose juxta hanc sibi cognitam propinquitatem prohibentem, ubi ubi illa est, sive inter personas expreisè nominatas, sive inter alias non expresè nominatas, matrimonium prohibuit. Nam prohibens propinquitas, sive caro carnis, v. 6. posita, per omnes prohibitiones speciales se diffundit, & inter quas personas illa reperitur, inter illas semper prohibet matrimonium, sive persona reperiatur inter personas expresè nominatas, & nihilo secius æquali illa propinquitate sibi invicem obstrictas, quæ æqualis propinquitas in computatione graduum luculentè ostenditur. Inepta igitur est illa oppositio. Moses inter personas expresse nominatas prohibet matrimonium. Ergo inter personas in eadem propinquitate consistentes, non autem nominatas, non prohibet matrimonium. Absurdum hoc est, & absurda parit hæc collectio. Sic avus iam ducet proneptem, avia nepotem,

Filia

Filia Sororis avunculum, quæ non sunt expreßè Levit. c. XVIII, prohibita, interim tamen detestanda. (2) Æquè & hoc ineptum est. *Moses certas personas, non quatenus sub certo gradu comprehenduntur, prohibuit, ergo non alias sub eodem gradu contentas, cujus (gradus) cognitionem non habuit*, Respondeo. Adsertio sibi ipsi intorquet arietem. Dicit, ea recte. *Equidem largimur Mosi notam fuisse omnem propinquitatem ex sanguine & affinitate.* Si omnē propinquitatem, quæ Matrimonium prohibet, novit vir sanctus, sancteq; illuminatus. Sed illam tantum scire & videre potuit in personis illis, quas expresse nominavit, eandemque propinquitatem in aliis non nominatis, æque radicatam, scire ac videre non potuit. Profectò Moses in hoc genere parum scivit, nec omnem propinquitatem intellexit, quod tamen Adsertio cogebatur concedere. Qui prius concedit, is profectò posterius non potest negare. Cugatenus omne scorbutum, febresque scorbuticas accuratè intellexit & deprehendere potuit. Sed tantum in Saxonibus, non autem in Batavis, Danis, & aliis. Qualis quæso est illa accurata concessa notitia, quæ statim dum ponitur, iterum tollitur. Et si Moses omnem propinquitatem, prohibentem, ubi ubi illa est, novit; sed in aliquibus nominatis! Ideo matrimonium prohibuit, in aliquibus autem pari propinquitate, vel quod idem est, pari gradu se attingentibus, ubi par ratio est, ut ut non expressis verbis, attamen tacita legis sententia comprehensis & inclusis, istud non prohibuit. Datur ratio hujus diversitatis, quæ naturalem perturbat æquitatem, quam ego nondum vidi, nec mecum alii. Qualis tandem opinio? Uxor avunculi mihi prohibita est, sed uxor patrui mihi prohibita non est? (3) Adsertio negat, *omnem à me præsuppositam propinquitatem, isto tempore fuisse causam prohibitionis.* Respondeo. Non præsuppono aliam propinquitatem, nisi eam, quam Moses ponit Levit. c. XVIII, vers. 6. quam postea in singulis prohibitionibus specialibus ponit, dum prohibet. Nemo homo accedat ad carnem carnis, hoc est, adnimis propinquum aut propinquam. Nimia igitur propinquitas est causa prohibitionum, quod satis clarum est ex ipso textu. (4) Pergit Adsertio. *Et si fuit*, scilicet causa Prohibitionis, *non tamen obligatio exinde extra rempublicam Judæorum viventium, inde extrueretur.* Respondeo. Mirè illa concedent. Moses nescivit gradus. At scivit omnem propinquitatem ex consanguinitate & affinitate ortam, Non præsuppo-

sita propinquitas ab adversario fuit causa prohibitionis: Sed si fuit, obligavit tantum Judæos. Hic Adsertio ostendit suam incertitudinem, & quam lubrico ista asserta nitantur fundamento, quæ semper titubant. Et quàm frigidè dicitur, prohibitiones omnes Levit. cap. XVIII. si obligant, non tamen obligant viventis extra rempublicam Judaicam. Hic Adsertio non considerat textum dilucidum Livit. c. XVIII. vers. 6. *Nullus omnino homo accedat ad proximam carnis.* Non autem dicit. *Nullus omnino Judæus, sive nullus vivens in republica Hebræorum accedat ad carnem carnis.* Hinc immotum nascitur fundamentum, quod omnes prohibitiones Levit. c. XVIII. non tantum Judæos, sed omnes omninò in orbe homines obligent. Quod autem omnes homines obligat, id nullo modo pertinet ad Leges Reipublicæ Judaicæ forenses, sed ad jus naturæ, quod supra solidè probavi. Videt ergo Adsertio, quòd hic infeliciter contra textum, & verba Spiritus Sancti disputet. Pergit Adsertio Num. 8, *Secundo tale argumentum, ponit ille in contrarium: Nisi personæ à Mose determinata duntaxat sub prohibitione intelliguntur, frustra eas nominatas esse. Hoc argumentum non est nostrum, ideoq; præterire illud possumus.* Respondeo. Rogo Lectorem, ut hic iterum observet Adsertionis artificium non laudandum. Recitabo verba Gamologiæ. *Lib. 2. tit. 5. pag. 373.* Si saltem personæ prohibitæ sunt, quorum nomina extant in Mose, non autem simul gradus æquè distantes, actutum sequetur hoc absurdum. Concedi matrimonium inter aviam & nepotem, inter avum & proneptem, inter filiam sororis & avunculum, quarum personarum non fit mentio Levit. c. XVIII. &c. quæ tamen omnia sunt detestanda. Adsertio hoc argumentum meum miserè corrupit, pervertit ipsum nervum, & nucleum omittit. An hic pie & candidè egerit, viri cordati judicent. Dicit, *hoc argumentum non est nostrum.* Sed ego argumenta illa, quæ ibi recenseo in Gamologia, à nonnullis opponi dico. Nulla hic fit mentio Responsi juris in toto hoc discursu: Qui autem fit, quod cætera argumenta exanimare conatur, & hoc argumentum pervertit, planè præterit ac sepelit. Causa in promptu est. Nimis calet, non audet propiùs accedere nostra Adsertio ad lucentem & urentē veritatem, quæ facilè adurit oppositas errantis cerebri stipulas. Interim proponit aliud. *Si ita, inquit, arguamus. Si Moses sub personis illis specialiter nominatis intellectas voluisset alias, non solas illas in specie, sed sub-*

sub graduum aut alia generaliori appellatione nominasset. Idem enim tum fa- cturus fuit, ac ille superno. Atqui Moses illas in specie, non sub graduum aut alia generaliori appellatione nominavit. Ergo sub illis alias personas intelligi noluit. Quid in hoc argumento desideret adversarius non indicat. Forte recurrit ad principium de carne carnis per circulum, sed eo non est admittendus, donec rectè illud principium probaverit. Respondeo. Nervus argumenti est: Si Moses sub nominatis personis, intelligit etiam alias, illas sub graduum aut alia generaliori appellatione innuisset, quod tamen non fecit. Verum qui textum Mosaicum legit, is dicet, imò hoc Moses fecit. Nimirum quando Levit. c. XVIII. vers. 6. generaliter prohibet, ne quis ad propinquas carnis suæ accedat. Hanc universalitatem exposui ex ipso textu, sub art. 2. Assertioris, eamque itidem contra nihili adsultus vindicavi, & quidem contra illum efficacissimum Assertionis bolum. Posita autem illa generalitate, quæ in textu posita est, ultrò sequitur, quòd Moses inibi non strictè agat, quoad nominatas certas personas, sed generaliter & latè, quoad illas quoq;, quæ in pari propinquitate sibi invicem appropinquant. Assertio quærit, *cur non indicaverim quid in hoc argumento desiderem?* Causa stat in procinctu, quia hoc argumentum tunc, cum Gamologiam conscriberem nullibi, quod sciam, legi. Jam satis indicavi, quod in eo desiderem. Pergit Assertio, *non admittendus est adversarius ad principium de carne carnis, antequam illud probaverit.* Lepide. Non sum admittendus ad textum perspicuum, ad verbum Dei, ad sextum versiculum Lev. c. XVIII. qui fons est omnium illarum prohibitionum. Claudamus igitur Biblia, sepeliamus textus, & tamen disputemus ex Levitico de prohibitis matrimoniis. Festivè! Sed probandum erit, *Mosen generaliter prohibuisse, citato versiculo.* Repono. Qui hoc non videt, non novit quid sit generale, latum, laxum & universale. *Nullus omninò homo.* Hoc generale est. Accedere ad carnem carnis, hoc est accedere ad nimis propinquum aut propinquam. Et hoc generale est, quod viridiores anni discunt & norunt. Duo adhuc in Assertione sequuntur, quæ tamen parum ad rem faciunt (1) Quod dixerim Mosen quasdam personas nominare, hoc fieri propter majorem claritatem, ut illa repetitio magis penetret. Argutatur Assertio n. 10, *Ergo huic claræ designationi nil addendum, hoc enim idem esset, ac solem facibus illustrare velle.* Respondeo, Aliud est rem

perfectè exponere. Hinc colligitur, non opus esse additione no[illegible] doctrinæ. Aliud est rem clarè exponere. Hinc male elicitur [illegible] nil addendum erit illis quæ dicta sunt. Sic per[illegible]cuitas non ex[illegible] addenda. Contrarium enim in omnium fere autorum scriptis [illegible]tur, ubi perspicuitas præcedentium non excludit ea quæ sequ[illegible]. (2) Lutherum dixi revocâsse sententiam [illegible]am veterem quod [illegible] nom[illegible]iæ tantùm sunt prohibitæ, idque Tom. II. Jenensi. Ge[illegible] fol 152. Adsertio illud non audet negare, sed addit, hoc nulli[illegible]mo- menti esse. At si hoc sufficit, quis non ipsa principia, tali re[illegible] se prostravisse somniaret. Addidi Doctores celeberrimos in [illegible] logia, qui omnes Adsertioni mihi oppositæ contradicant. [illegible] Adsertio. *Contrarium per autoritatem Doctorum non probari.* Co[illegible]o. Contra omnes sapere velle absque fundamento, nil aliud est q[illegible]m sua singularitate splendide desipere.

Artic. III. Adsertionis.

Prohibita matrimonia an d[illegible]em a[illegible]!

INcipit n. 1. *Autor Gamologiæ l.* [illegible] *omnes ac singul*[illegible] *casus Leviti- ca prohibitionis matrimon*[illegible] *a* [illegible]*satione ex*[illegible]. Respondeo. Verum est, quod Adsertio [illegible] C[illegible]ergo quæstionem tam ridi- cule format. *An p*[illegible] *matrimonia d*[illegible] *admittant?* Dan- tur matrimonia [illegible] jure munic[illegible] tantum prohi- bita, quæ non [illegible] in Lev. c. XVIII. prohibita. In illis d[illegible] locum h[illegible] in his [illegible] humana dispe[illegible] h[illegible] formanda. *An matrimonia* [illegible] *Levitico prohibita d*[illegible]*onem admit*[illegible]*?* Hoc nego cum [illegible] & Jctis eminen[illegible] Num[illegible] eodem dicit Adsertio, se [illegible] propositiones Gamologiæ examinaturam, cum responsion[illegible] q[illegible] Autoris debil[illegible]. Fiat. Sed utinam fieret absque pras[illegible] sannis aculeatis verbis viro cordato in[illegible] quibus [illegible] tia scatent. Num. 2. repetit, quod [illegible] cum aliis eruditis, Di- spensationem esse relaxationem [illegible] positivi: ad differentiam juris divini & naturalis. Hic d[illegible] *jus divinum intra car*[illegible] *turalis con*[illegible] *m, &, pergit* [illegible] *car*[illegible] *IX v. 4 ad jus naturæ* [illegible] *referre hoc* [illegible] *refu*[illegible] *us.* Respondeo. Falsum est quod [illegible], solo jure naturæ [illegible] statuam, qui jus positivum divinum in lege ceremoniali & fo- rensi

censi Judæorum admitto. Quod attinet prohibitionem *Gen. c. IX.* an autor assertionis recte textum hunc intelligat, valdè dubito. Dubium mihi adaugent ipsius verba, quæ risu dignos pronunciant omnes illos, qui hanc prohibitionem ad legem naturæ audent referre. Si hoc scripsisset de esu sanguinis Levit. c. XVIII. vers. 16. prohibito, statim ipsi concessissem, hanc prohibitionem non ad legem naturæ, sed ad legem Judæorum municipalem pertinere. Hanc autem prohibitionem Gen. c. IX. v. 4. omninò ad legem naturæ refero. Videamus Textum originalem, qui sic habet

אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו׃

Hoc. est

Quin etiam carnem in anima ejus, sanguine ejus ne comeditote. Hic quæritur quid propriè sit *caro in anima sua, caro in sanguine suo.* Qui edu-ctissimos Linguæ Hebrææ intelligit, quique Paraphrasin Chaldaicam Onkelos iverit consultum, & excellentissimorum quorundam Theologorum commentarios, nullo negotio deprehendet, carnem in anima sua, esse carnem ἔμψυχον, adhuc quodammodo animatam semivivam. Carnem in sanguine suo, esse carnem cruentam, & sanguine tepente stillantem. Talem esum Deus hic prohibuit. Talis autem carnis esus beluarum est & Cyclopum, quem natura hominis aversatur, quem insitum rationis dictamen damnat. Probo hoc ex Homero gentili. Odyss. 9. ubi immanis cyclopis cruentas & detestandas epulas describit.

Non aliter quam crudaLeo discerpere membra
Atque vorare solet. sic ille cutemque capillosque
Ossaque cum fluidis per barbam atque ora medullis,
Non caro non viscus, non intestina supersunt.

Hic Poeta ex lumine rectæ rationis, esum carnis in anima sua, in sanguine suo, de quo Gen c. IX. planè execratur & damnat. Ergo citata hæc prohibitio *Gen. IX.* ad jus naturæ pertinet. Autor adsertionis, verba sua paululum rumінet, quæ extant in Adsertionis membro *III. art. 1 n. 4. ult. capitis* Ubi sic scribit. *Nos cum omnibus eruditis omnino putamus, utrum divina aliqua prohibitio, ad jus naturæ pertineat, nec ne, ad nullam aliam causa judicari posse, præterquam ex hac una, si sit ubicumque ea*

N 2 *venio*

venit ex dictamine rationis rectæ, per quod Deus homini prohibet, quod ipsum ex natura sua dedeceat. Jam syllogistice colligam.

Quæcunque prohibitio divina prohibet id, quod rectæ quoque rationis dictamini eadem adversatur opera, illa prohibitio pertinet ad legem naturæ.

Atqui prohibitio divina de cruento esu carnis in anima & sanguine Gen. IX prohibet id, quod rectæ quoque rationis dictamini adversatur. E. divina illa prohibitio Gen. c. II. pertinet ad legem naturæ.

Major est Autoris, qui in me scripturivit Minor ex Poeta E[illegible] est probata: quiq; ulteriorem probationem postulat, se ipsum [illegible] lat, & desubito exhorrescet ob talem esum. Ergo stat conclusio, quam Autor Adsertionis *potius risu quam refutatione dignam esse pub[illegible] scribebat.* Hæc autem ex propria ipsius doctrina & citatis verbis emergit & subsistit vera, incolumis & robusta. Rideat igitur, [illegible] placet, se ipsum, & jam tentet, an risu suo di[illegible] po[illegible] [illegible] & pleno jubare hic radiantem Num. 3. Pergit Adsertio. *Si quæ aliquod divinum positivum est, ut omnino est, concedat etiam oportet ex propria sua doctrina, in illis, quæ jure divino positivo seu præcepta seu prohibita sunt, dispensationi humanæ [illegible]* Respondeo. D[illegible] p[illegible] Divinum, quod ad sacra & rem publicam Judæorum pertineat, satis ostendunt leges ceremoniales & forenses, de qua re nemo unquam dubitavit. Hac de re nulla inter nos nata est quæstio. Sed an leges Levit. XVI[illegible] pertineant ad legem ceremonialem aut forensem & sic ad legem positivam, ad forum [illegible] pertinentem? Hoc nego. Supra satis e[illegible] omnes illas prohibitiones Levit. c. XVIII. ad legem naturæ pertinere. Et sic nullum hominem posse concedere, quod Deus hoc capite, in hoc rerum genere prohibuit, quemadmodum recte hactenus docuerunt tot [illegible] Theologi ac JCti uno ore concorditer, quibus frustra insultat hæc nuper nata Adsertio. Non igitur sunt *stupæ dissoluta*, quæ ex hoc fundamento deduxi in Gamologia, quemadmodum Autor [illegible] ad [illegible] supercilio, uno aculeato & [illegible] Quæ numero [illegible] addit per jam ante deducta facile [illegible] viribusque suis [illegible]. Hæc [illegible] L[illegible] q[illegible] *Lib. 2. tit. 5 pers. 9 pag. 452 & 453.* Cum Magno Theologo D. [illegible]

do ibidem statuo, & rationibus fortissimis probo. Autor adsertionis hic num. 6 ex illis allegat nonnulla, quod scripserim hoc loco nec ipsum Mogol Indorum, nec ipsum Tzar Moscorum, nullumque Regem, in iis quæ Deus Lev. c. XVIII. prohibuit dispensare posse, statim addit satis sarcasticè, *me hæc mimicè scripsisse* Sed si probe sciret Momus, quid sit Mimo, non tam temerè talia illevisset papyro. Emphaticè non mimicè scripsi. Nullus imperator, Rex, Princeps, qualis qualis, contra prohibitiones divinas Lev. c. XVIII. dispensare potest. Si Paulus simpliciter dicere potuisset. Nihil nos separare potest à dilectione Dei. Sed Emphaticè loquitur Apostolus: *Neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; potestas, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo neq; profundum, neq; ulla creatura alia, non poterit separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Quid hic videtur Censori, numnè mimice scripsit gentium Apostolus? Talia plura ipsi ostenderem ex luculentis Autoribus, tam græcis, quam Latinis, si cum scopis suis dissolutis, consimili aceto lavans, in arenam hîc descendere vellem, quod absit à me. Quæro, quando hic verba mea tam sinistre [illegible], cur non Argumenta mea attingat & refutet, quæ scopas dissolutas quidem vocare audet, attingere tamen non audet. Et qualis disputator est, qui argumenta, quibus Thesin meam confirmo, sicco pede præterit. Et num. 7 Responsiones tantùm meas, ad quasdã instantias contrarias, prout ipsi placet, allegat, semperq; suis glossis interrumpit, ne lector cohærentiam & vim verborum meorum ex cohærentia resultantem observet. *Egregium vero laudem?* Cæterùm, plane consentio cum Domino D. Gerhardo, & omnibus illis, qui conscientiam suam strictiorem, illibatam servare gestiunt. Magistratum nullum, etiam in matrimonio, contra expressam aliquam prohibitionem Levit. c. XVIII. susceptam, jam [illegible] contractum, bona conscientia dispensare posse. Quis enim est homo ille, qui contra Deum insurgere audet, qui permittit, quod Deus expresse prohibuit, quod omnibus hominibus prohibuit. cujus solius est solvere, quod ligavit. Sane qui huic doctrinæ opponunt. Multa facilius impediri ab initio, quàm si facta fuerint rescindi. Dico in Gamologia hanc [illegible] fuisse scopum, probare debebat, rem ipsam, scilicet dispensationem [illegible], in divinis prohibitionibus Levit. c. XVIII. Locum habere, hoc autem non facit, sed de modo loquitur, scilicet

ac difficultate, quâ ægrè rescinditur quod jam factum sit. Ergo matrimonia contra jus divinum Levit. c. XVIII. contracta non debere rescindi, quia hoc difficultatem annexam habeat. Adsertio contra [illegible]. *Non loquimur, inquit, de modo dissolvendi matrimonia, sed de ipsa dissolutione, quam hoc casu fieri posse negamus per illud argumentu.* Respondeo. Si Adsertio non potest capere, quæ in Gamologia scripsi, & jam jam dilucide exposui, condono ingenio jam aliquantulum obtusiori, si mea intelligere noluit, ut singula perverteret, condono malitiæ. Per rem ipsam probandam, intelligo hanc Thesin adversæ partis: *quod dispensatio humana in gradibus Levit. c. XVIII. à Deo prohibitis, [illegible] ea:* Adsertio hoc invertit, & per rem ipsam *nudam dissolutionem* à me intelligi fingit. Ponit Incomplexam, *dissolutionem*, ac si quis dicat, Lex, Imperium, Testis, Juramentum (qui sunt termini incomplexi, qui nil ponunt, nullam enunciationem formant, nullum pariunt sensum. Postea addit. *Dissolutionem negamus, per hoc argumentum:* scilicet matrimonium contra prohibitionem divinam jam contractum est, & quia contractum est non dissolvatur, sed per dispensationem toleretur, quia, quæ jam facta sunt, non tam facilè rescinduntur, quàm impediuntur ab initio, quando facta non sunt. Satis festive Adsertio addit, *non sufficit proposuisse distinctionem inter rem ipsam & modum rei, sed applicari debebat ea distinctio ad præsens negotium, quod dum ipse non facit, nihil eum juvat sua distinctio.* Respondeo. Applicatio tam hic, quam in Gamologia satis perspicue facta est. Imitor [illegible] [illegible] conatur Adsertio, & de febre quartana similiter concludo. Facilius impeditur imminens quartana, quàm admissa curatur. Ergo Febris illa curatur. Ergo Febris illa negligi, nec curari debet. Ut autem sim valde perspicuus [illegible] hoc applico ad præsens negotium. *Abominatio in oculis Domini toleranda est, quia non tam facile demovetur ac fit.* Quasi vel [illegible] doctus hoc non intelligat. Matrimonium contra prohibitionem divinam Levit. c. XVIII. contractum, quod abominatio est in oculis Domini [illegible] per dispensationem humanam. Equidem Deus [illegible], non [illegible] personæ tales cohabitare non debent. Sed [illegible] dicat, tolerentur, quia jam contractum est, quæ facta non tam facile rescinduntur, quàm quæ facta non sunt. [illegible] in Gamologia [illegible] [illegible]? Quis in prohibitione divina hoc valere adstruet? Sed Adser-

tio

tio pulchrè didicit ea omittere, & pervertere, quæ non didicit infringere. Pergit Adsertio n 9. *Doctores non ita colligere. Multa facilius impediuntur in initio, quam facta rescinduntur.* Ergo nullum *matrimonium debet rescindi.* Respondeo. Quæstio est, An matrimonia contra prohibitiones divinas Levit. c. XVIII jam contracta rescindi debeant? Adversa pars negat, & talem usurpat medium terminum. *Quia quæ jam facta & contracta sunt, difficulter rescinduntur.* Si autor Adsertionis ex hoc medio termino didicit in Logicis tantum particularem affirmantem (non loquor de universali) elicere, videlicet. Ergo quædam matrimonia contra Levit. c XVIII. jam contracta sunt rescindenda. Rogo ostendat mihi talem Doctorum, ex hoc medio termino ita concludentium syllogismum, vel sequalem, ut conclusio hæc sit. Ergo quædam matrimonia jam contracta sunt rescindenda! Novum sequitur cataplasma eodem numero. Hoc modò inferunt, *faciliores sæpe sunt causæ, quibus impeditur matrimonium contrahendum, quàm quibus dissolvitur contractum. Ergo graviores debent esse causæ, quibus id dirimi debet, quam quibus id impediri potest.* Respondeo. Ipsa Adsertio [illegible] *An matrimonia Levit. c. XVIII prohibita dispensationem admittant.* Ego nego. Adsertio autem affirmat, ac dicit, multa ibidem prohibita matrimonia dispensationem admittere, & sic non rescindi. Multa enim facilius impediri quàm facta rescindi. Jam autem [illegible] concludit. *Ergo graviores esse debent causæ, quibus matrimonia [illegible] dirimi debent, quam quibus impediri possent.* Cum concludere debuisset, Ergo quædam matrimonia contra Levit. c XVIII. contracta, non rescinduntur, sed dispensationem admittunt. Hæc conclusio scopum ferit, sed prior illa non loquitur de dispensatione, quod licita sit, sed quales debeant esse causæ, nimirum gravissimæ, ob quas contractum matrimonium sit dirimendum, quod tamen plane in disceptationem non cadit. Sic Adsertio vagatur ab uno ad aliud, & varia quærit [illegible], in quibus se abdat. Quis enim unquam negavit causas [illegible] quas matrimonium contractum dirimendum est, gravissimas esse [illegible]. In [illegible] caulas. (1) Deus prohibuit has personas [illegible] (2) Deus [illegible] non conjunxit (3) Hoc matrimonium est Niddah vel abominatio in oculis Domini (4) Nullus homo potest permittere, quod Deus in verbo suo prohibuit. Hæc causæ [illegible], quas Adsertio præterit. Sed excipit. [illegible]

au. [illegible]

autem in matrimonio, sua natura indifferente, & saltem positiva lege prohibito valere non debeat (dispensatio) *nullam [illegible] rationem.* Respondeo. Hæc Papistica sunt, nimirum, quædam matrimonia Levit. c. XVIII. Prohibita, simul jure naturæ prohibita censeri, in quibus nemo possit dispensare. At plurima eo capite prohibita matrimonia, tantùm prohibita esse lege positiva, ad rem publicam Israelis pertinente, in quibus Papa possit dispensare, vel Magistratus. Hoc Papisticum stramen liberè stravit Adsertio, & ex hac hypothesi falsa, & nunquam probata toties concludit, & sic toties principium petit quoties sic concludit. Quæ n. in Levit. c. XVIII. prohibentur matrimonia, non sunt sua natura indifferentia, sed omnia & singula involvunt talem aliquam propinquitatem prohibitam, de qua versu 6. legitur, & propter quam nullus homo accedere debet ad proximum vel proximam carnis. Hinc supra probatum est, nullam prohibitionem matrimonialem, Levit. c. XVIII. pertinere ad Legem divinam positivam, quâ Judæi tantùm obligantur, sed ad legem naturæ, quâ *omnis homo Levit. c XVIII. vers. 6. & ejectæ gentes è terra sancta* obligantur *Levit. c. XVIII. vers. 26. 28. c. XX. v. 23.* Gentes autem revelatione supernaturali, & legibus Dei positivis planè destitutas fuisse, nôrunt omnes eruditi. Sed & post gradus recensitos terra dicitur gentes illas evomuisse. Peccarunt igitur etiam contra gradus illos. Et sic contra legem naturæ. fateri hoc coguntur Cornel. à lapide, T[illegible], Marius, [illegible], Pontifici ex assuevo mitionem incolarum [illegible] [illegible] naturæ, & naturalem instinctum co[illegible]. Sed de his supra, quo remitto, & postea remittam, quoties nihil[illegible] falsa hæc hypothesis recurrit. Recurrit autem in omnibus ferè numeris sequentibus usque ad finem hujus Adsertionis, paucis duntaxat exceptis, quemadmodum videbimus. Numero 10. Adsertio ex[illegible] ea, quæ reposui ad argumentum illud adversæ partis, quod Mose[illegible] nulla Matrimonia contracta dissolvat, sed in poena de[illegible] subsistat. Respondi Gamol. *Lib. 2. tit. 7. pag. 517. quod Levit. c. XX.* transgressores Legum præcedentibus duobus capitibus [illegible]rum, [illegible] poena. Allego v. 20. *Quisquis [illegible] sua, nuditatem patrui sui detexit, peccatum suum ferunto, sine liberis [illegible]riuntur* Sciebam autem Bellarminum, ut Papæ Romani nefa[illegible] dispensationem defendat, hîc mollem esse instar butyri quan[illegible]

S[illegible]

quando hæc verba *absque liberis moriantur*, non de pœna capitali possint exponi, sed quod delinquentibus, & uxorem patrui sive amitam ducentibus, contra prohibitionem divinam, hoc tantum sit eventurum, *quod liberi non sint adscribendi* Hanc butyraceam explicationem Bellarmini statim impugno, non nominato autore. Dico; præcedentia verba; peccatum suum ferunto, præeunte Scriptura, sic intelligi; Amitam qui duxerit, *pœnam peccati sui ferunto*, probo quia extat in Hebræo vox חטא chet, quæ peccati pœnam notat. *Job. XXXV. vers. 3. Thren. c. IV v. 6. Zach. c. XIV. vers. 19* Sed hanc pœnam capitalem fuisse, colligo ex præcedente versiculo 18. ubi rem habens cum menstruata, *exscindentur ambo è medio populi sui.* Colligo, argumentando à minori ad majus. Si concubitus cum menstruata, tanquam peccatum minus, pœna capitali punitur. Quidni concubitus cum Amita, qui incestus est, lege divinâ prohibitus, & sic peccatum majus, capitali in loco laudato puniretur pœna. Ergo portabunt peccati pœnam, quæ his verbis dictatur, *absque liberis moriuntur* Quæ verba non adjuvant [illegible] syrupum Bellarmini, *Liberi ipsis non debent adscribi.* Sed, ne quidem gravidis, ex incestu parcendum esse, tollendas esse, antequam enitantur incestuosum fœtum. Quid Adsertio ad hæc? Dicit non 12 *Non omnes concubitus inter cognatos & affines ex latere, incestus nomine comprehendi* Respondeo. Ex falsa hypothesi hoc emanare, nimirum, non omnes prohibitiones Levit. XVIII, Pertinere ad jus naturæ. Videt Lector, hic recurrere petitionem principii, de qua jam jam prædixi, quamque supra refutavi. Adsertio autem pœnam capitalem e textu probatam levi manu vix tangit, imò fundamenta mea hic ne quidem allegat. Sic post carecta latebit. Statim ait. *Quis hodiè judex ob concubitum cum menstruata quenquam capite puniret?* Respondeo. Non quæritur, quid hodie judex facere velit aut debeat in illo casu. Aliud est quod demonstro, scilicet, quod Deus pœnam capitalem tempore menstrui fluentis concumbentibus *Levit. c. XX. v. 18,* dictaverit: At contra hoc ne mutire audet Adsertio. Probavi, quod *absque liberis moriuntur*, capitalem pœnam induxerit propter incestum, qui gravius sit peccatum, quam concubitus cum menstruata. Sed Adsertio [illegible] lambit iterum, non tangit pultem. *Crudele hoc esse dicit.* Ergo ne crudelis Deus, qui ob solum cum menstruata concubi-

tum, ambos jubet exſcindi è populo ſuo, quæ pœna Capitalis erat, quod nemo poteſt negare, niſi qui verba textus negare auſus fuerit. Adſertio ſe vertit ad aliena & peregrina, ut aliquid inveniat, in quo ſeſe exerceat, & absq; contradicente contra ſolas Eteſias diſputet. Sic igitur incipit. *Quod ſi exiſtimat adverſarius, pœnas delictis etiam contra jus naturæ, perpetratis, à Deo præſtitutas, ex eodem jure naturæ profluere,* ipſe ſentiet quam graviter fallatur. Hic opponit mihi homicidium voluntarium, & Hugonem Grotium, & gratiam principum, qui ſæpè homicidas dimittunt. Reſpondeo. Quid de pœnis ſentiam, an & quatenus ex jure naturæ enaſcantur, de hoc nullum Jota extat in [illegible]mologia univerſa. Quid de hoc Themate diſputetur contra Bellarminum, dudum ſcivi. Quia igitur Adſertionis autor è ſuo cerebro mihi aliquid hic tribuere ſtudet, de quo nondum ſcripſi, ipſe ſentiet, quàm graviter hic fallatur. Grotium in Politicis negotiis, ac Studio Philologico laudo, at in Theologiam involantem ac ſæpè dormitantem, accuratius ex magno Hulſemanno, Coccio & aliis, tam noſtris quàm reformatis noſci rogo virum. Sic in multis Grotius non erit Grotius. Principum gratiam in homicidas, & homicidium voluntarium pronam, remitto ad Adſertionis autorem, ut inſtituat anatomen, ejusque viſcera rimetur, quemadmodum aves, quæ *rimantur prata Cayſtri*, & qualem tunc eam repererit, ſi apertiùs dixerit, facile acquieſcam. Sed omnia illa extra tribum Benjamin vagantur, & hic ſibi nihil negotii eſſe dudum didicerunt.

Num. 16. Locagitur. Opponebat, qui in inceſto matrimonio diſpenſationem admittunt. In eo, quod jam contractum ſit, æquitatem nihilominus obſervandam eſſe. Repoſui. In ſumma iniquitate (in inceſtu, ubi contra divinam prohibitionem Levit. c. XVIII. contrahitur) æquitatem velle ſectari, nimis periculoſum & inſipidum eſſe. Adſertio dicit n. 16. *me Doctores appellare inſipidos*. Reſpondeo. Falſum hoc eſſe, oſtendunt verba mea jam citata. Unum adſertum Doctoris alicujus periculoſum & inſipidum eſſe poteſt. Ideo non inſipidus eſt autor in omnibus. Porrò dicit. *me verba captare. Doctores quærere æquitatem, non in inceſtu ſed in puniendo matrimonio contra jus divinum poſitivum tantum contracto*. Reſpondeo. Incurrit iterum falſa hypotheſis & petitio principii, quaſi non omnes prohibitiones Levit. c. XVIII. ad legem naturæ, ſed quaſdam ad legem divinam poſitivam perti-

pertineant, quæ rempublicam Iſraelis concernunt, quod erroneum eſſe ſupra probavi.

Num. 17. opponebant Patroni diſpenſationis in inceſto matrimonio jam contracto, ignorantiam excuſare contrahentes. Reſpondi Ignorantiam Juris excuſare neminem, quod & jam probari poſſit ex 2. *Theſ. c. I. v. 8.* Adſertio regerit n. 17. *Non ſequi inde, Nuptias per ignorantiam juris in gradu prohibito à Jure poſitivo, ſtatim eſſe dirimendas.* Reſpondeo. Iterum recurrit falliſſima hypotheſis, nimirum quaſdam prohibitiones Levit. c. XVIII. tantùm pertinere ad legem poſitivam. Num. 19. dicit. *Plus autem quam abſurdè ex textu 2. Theſ. c. 1. v. 8. ita arguitur. Deus ulturus eſt eos, qui ſe & Evangelium non agnoverunt. Ergo nuptiæ per ignorantiam juris, in caſu legis poſitivæ prohibentis contractæ, ſunt dirimendæ.* Reſpondeo. Autor adſertionis, ſua allegatione, (*qui ſe & Evangelium non agnoverunt*) indeque formatâ concluſione oſtendit tria. Primo, quod ſuo more verba mea, ex Gamologia iterum non candidè hîc alleget, quæ ſic habent, *2. Theſ. c. 1. verſ. 8. ubi dicitur de ultione, qua etiam illis infligitur, qui non cognoverunt Deum.* Non dico, *qui ſe & Evangelium non agnoverunt*, ſicuti aſſertionis autor verba recitat. Secundò oſtendit, ſe textum. *2. Theſ. c. 1. v. 8. nec legiſſe, nec intellexiſſe.* Paulus hæc non miſcet in unam maſſam, ſed ita loquitur. *Qui infligit ultionem* (τοῖς μὴ εἰδόσι θεὸν) *non cognoſcentibus Deum, & qui non obediunt Evangelio* (καὶ τοῖς μὴ ὑπακούουσι, τῷ εὐαγγελίῳ. Hic impios damnandos in duas claſſes diſpeſcit Apoſtolus. In prima claſſe ſunt gentiles extra Eccleſiam, hi vocantur μὴ εἰδότες θεὸν, non cognoſcentes Deum, uti *Eph. c. 11. v. 12. 1. Cor. c. 1. verſ. 21. Gal. c. IV. v. 8.* In altera claſſe ſunt reprobi, quos vocat, *non obedientes Evangelio.* Non dicit ut noſter JCtus, *qui ſe & Evangelium non agnoverunt.* Hi enim habent Evangelium, cognoſcunt Deum & viam ſalutis ex Evangelio, ſed nolunt obedire Evangelio, hoc eſt, non dignè vivunt Evangelio, *Philip. c. 1. verſ. 27.* Eſt ne hoc ſpecimen ſupinæ negligentiæ in legendis textibus Biblicis? Tertiò oſtendit, ſe mihi alienam affingere conſequentiam, ac ſi ita colligam. *Chriſtus ulturus eſt, qui Deum non cognoſcunt. 2. Theſ. c. 11. verſ. 8. Ergo nuptiæ per ignorantiam juris contractæ contra legem divinam poſitivam ſunt dirimendæ.* Jam recito verba mea ex Gamologia. *l. 2. c. 7. pag. 518.* quæ jam ſequuntur.

quuntur. Sed ignorantia excusat contrahentes. Respondeo Ignorantia Juris excusat neminem &c. quod etiam patet ex 2. Thess. c. 11 v. 8. Quid his verbis innuam pueri facilè colligunt. Nimirum hoc, si ignorantia Juris excusat neminem. Ergo nec illos excusat, qui contra expressam prohibitionem, Levit. c. XVIII. scriptam contraxerunt nuptias, & sic in incestu vivunt. Hæc sunt mea, quæ autem Adsertio hic addidit, non mea sed sua esse intelligat, & quidem ineptissima, hic tria sunt ostensa, de quibus oculus judicare potest, an verò talia deceant virum cordatum non dicam, non dispiciam. Sufficiat mihi hæc atheromata ostendisse.

Num. 20. & 21. Ex dispensatione humana, contra prohibitionem divinam, nullam conscientiæ tranquillitatem oriri posse dixi, & adhuc dico. Sed Adsertio fulciet conscientiam hoc unguento salutis. Deus matrimoniũ quidem, quod contraxisti prohibuit. Lev. c. XVIII. sed illa prohibitio non pertinet ad immutabile jus naturæ, *sed ad leges positivas divinas mutabiles, & dispensationi humanæ subjacentes.* Respondeo. Solatium hoc vitreum. Iterum nititur falsa hypothesi, ad quam nihil repono. Supra enim illam edomavi. Sanum solatium est, quod ex Paulo de Castro, Baldo, Pecio, Bartolo, Hugone Grotio & aliis desumitur. Conscientia enim tremens ac dubitans, ut statuminetur, verbum Dei sacros textu à spiritu sancto immediatè inspiratos sibi ostendi postulat, nunquam contenta, algentibus hypothesibus, detorsionibus, argumentatione à sensu contrario, ficta restrictione, quæ nudius tertius, annuente Lucina, subdola matre peperit cerebrum humanum. Tali textu adsertionis autor fulciat conscientiam illius, qui defunctæ uxoris sororẽ contra prohibit onem divinam L. c. XVIII. v. 18. duxit. Sed ubi est textus ille, qui factum permittit, quiq; solatium spargam ad tonitrua Adsertionis. *Si quis,* inquit. *fortè rudis in ejusmodi aqua turbat, quam lenire debebat conscientiam, is vindicem Deum expectabit, rationem crudelitatis ipsi redditurus.* Respondeo. Profectò

— — hoc magno misceri murmure cœlum
Incipit. & crebris tandem micat ignibus æther.

Sed ex pelvi tantum illa oriuntur fulgura, qui verbum Dei sequitur, & infallibilem textum, in sua harmonia, juxta antecedentia & consequentia sine ruptura intellectum, & absque spumis & glossis humanis in sua cohærentia relictum, is tutus est, quando contra ille tremit

... *Et*

... *Et ad omnia fulgura pallet* qui textus sacros torquet, pervertit, rumpit, ac lacerat & quod nuspiam scriptum, nuspiam concessum legitur, sed variis modis à Deo prohibitum esse ostenditur, istud per humanam, & sic nihili dispensationem permittere conatur, ille Judici vivorum & mortuorum, in decretorio illo die magno ac tremendo rationem suæ temeritatis redditurus est gravissimam.

Num. 22. Opposuerat pars adversa. Scandalum pariet, si tale dirimitur conjugium. Respondebam in Gamologia (1) Non parit scandalum, quòd fit juxta verbum Dei. (2) Conjugium in gradu prohibito contractum Levit. c. XVIII. non est ratum, sed pertinet ad delicta peremptoria, quod enim Deus prohibuit, ne fiat, id jam factum, Deo exosum est invisum, & sic in se perimit & invalidat contractum. (3) Non proprie sic dirimitur conjugium, nullum enim hic fuit conjugium. Deus enim hic non conjunxit, quia Deus non conjungit personas illas, quas vetat conjungi. Citavi leges, citavi JCtos, D. Kitzelium D. Klingium. Adsertio autem hic habitat in Arabia deserta, & siticulosa Apulia, præterit illa omnia cum sacerdote & Levita, nil hic succi habet, & vix pauca ei hoc loco nasci volunt verba. Ista enim tantum mihi objicit, *scandalum*, inquit, *ex dissoluto matrimonio, jure naturæ non prohibito proficisci negat, ex hac ratione, quia ista dissolutio fiat juxta verbum Dei. Hoc ab ipso non probato corruit hæc responsio.* Respondeo. Falsum esse, quod qui Levit. c. XVIII. prohibentur gradus, juræ naturæ non sunt prohibiti, quod dudum evici, & paulo post paucis repetam. Falsum est, quod non probaverim, conjugium contra prohibitionem divinam contractum, non esse verum conjugium. Dic fides an prohibitio divina, prohibito contractui obligationem instillet & valorem? Sic forsan contractus inter duos fures circa noctis meridiem conclusus obligationem inducet, actumque furandi promovebit! Credat qui vult! Tandem Adsertio me ablegat ad Responsum Juris *n. 528 & seq.* Ibi me semiramidis muros inventurum putat, ut ea, quæ de contractus, sive prohibiti a Deo conjugii nullitate dixi, planè ibi confutata reperiantur & edomata. Cæterum consului *num. 528.* qui agit de matrimonio cum uxore fratris defuncti tanquam casu singulari, sed de hoc in specie hic non disputo. *Prohibitionem hic ait, esse factum, propter honestatem, non propter necessitatem juris naturæ.* Quod falsum est, quemadmodum supra toties ostendi. Pergit *n. 530. 531.*

Contractum matrimonialem, non ratione substantiæ hic prohibitum esse, sed aliquam qualitatem in isto actu, quod probatione non indigeat, & tunc actum contra legem factum, non esse nullum, sed valere. Respondeo. In quæstione erat, an conjugium contra prohibitionem divinam, Lev. c. XVIII. Contractum, sit verum conjugium, vel quod idem est, an Deus personas illas conjunxerit, quas per prohibitionem suam contrahere noluit, prohibuit? Sed nihil in Responso juris, in numero citato, quod huc quadret, invenio. Videbimus singula. (1) prohibitionem fratriæ (extra casum deficientis prolis) non jure naturæ, sed tantum propter publicam honestatem factam esse dicebatur. Falsum hoc est, Textus divini ostendunt contrarium, Levit. c. XVIII. v. 6 *Nullus omnino homo* (hoc Innuit jus naturæ, si innueret jus positivum obligans Israelitas tantùm, tunc legeretur ita; Nullus omnino Judæus) *ad ullum proximum, vel proximam carnis accedat.* Pergit textus Levit. c. XVIII. v. 16. *Nuditatem fratriæ tuæ ne retegito* (statim additur causa) *nuditas fratris tui est.* Istud est frater tuus illam nudavit, hinc nata est affinitas inter te & fratriam, illa affinitas prohibet, ne tu eam retegas, jam ante à fratre retectam. Non facies, non reteges, non duces, alias accederes ad proximam carnis, quod versiculo sexto, omni homini, & sic Jure naturæ prohibitum est, quando interea leges positivæ, ad omnes homines non excurrunt, sed in republica Israelis pedem figunt. (2) Dicit Responsum. *Hic non prohiberi contractum matrimonialem ratione substantiæ, non actum, sed qualitatem in actu.* Respondeo. Miror talia scribi! *Tu non reteges fratriam.* Hoc est, tu non duces fratriam, non contrahes cum illa matrimonium. Ipse contractus matrimonialis hic prohibetur, æque ac iisdem verbis. v. 7. prohibetur pater retegi, mater retegi, v. 8. noverca retegi, v. 9. soror retegi. Planè desiperet, qui diceret, ipsum matrimonium hic non prohiberi, non ipsum actum & contractum, sed tantum in illo contractu qualitatem aliquam, nescio autem qualem. Profectò, cui retectio personæ alicujus prohibita est, illi matrimonium cum illa prohibitum est. Nisi forsan Responsum Juris alicubi in orbe terrarum invenerit conjugium contrahi, absque omni secutura retectione, de quibus columbis nihil legi apud Columbum, nihil apud Americum Vesputium, nihil apud Olivirium de Nort, licet nova olim apud illos legerim multa. Addo, Responsum Juris, quando probare volebat, vera & rata esse illa conju-

conjugia, quæ Lev. c. XVIII. sunt prohibita à Deo, aliquid ex Mose, ex Prophetis & Psalmis allegasset, quo tantæ rei veritatem ostendisset. Sed nullum Scripturæ locum in omnibus illis numeris *à n.528. ad 531.* reperi. Sed tantum; Alexandros Trentacinos, Decios, Baldos, quos in suis castris excubius agentes laudo, at casus conscientiæ extra Dei verbum determinantes, neu Prophetas, neu Apostolos agnosco. Nunc judicet eruditus lector, an verum sit, quod Adsertio superbè adnuit n.37. ubi dicit; *quod nihil respondere potuerim ad argumenta Respons. n.528. & seqq.* Verùm quod totum Responsum Juris tunc perreptare noluerim, dixi jam ante in Gamologia. Quia autem Adsertio me ad illud Responsum nunc remittit, quid potuerim ad illa, quæ parvi momenti sunt, respondere, & quidem celeri calamo, hic jam videt & legit audax ac ferox Adsertio.

Num. 24. Ad num. 30. Patroni dispensationis ita opponebant. Dubium esse an omnes gradus, Levit. c. XVIII. prohibiti, eo ingenio nati sint, ut matrimonium jam consummatum possint rescindere. Respondi. Quicquid Deus prohibet omnibus hominibus ne fiat. Levit. c. XVIII. v. 6. id jam factum, manet in oculis Domini exosum & abominandum, quippe, qui sibi semper similis est, mutabilis non est, &c. Adsertio suo more hæc mea non repetit candidè, sed tantum excerpit hæc verba. *Ita respondet: Deum immutabilem esse, qui ita præceperit.* Audiemus porro, quid refellat. (1) *Leges*, inquit, *positivas posse mutari & mutatas esse, interim Deum manere immutabilem.* Respondeo. Prohibitiones graduum Levit. c. XVIII. non pertinere ad leges positivas Judæorum, supra aliquoties ostendi. Nihil igitur facit ad Rhombum. (2) *Probandam esse prohibitiones Levit. c. XVIII. extra lineam rectam & obliquam in primo gradu esse immutabiles, hoc est jure naturæ factas, quod faciet adversarius, quando Deus desierit esse, immutabilis.* Respondeo. Quod mihi probandam esse dicit Adsertio, hoc supra sæpe ac solidissimè probavi, & probarunt ante me idem tot excellentes Theologi & JCti, quos autor adsertionis ne uno argumento robusto repugnare potuit, ut mirum sit, quod Adsertio audet dicere, hoc nunquam fieri posse, vel ut ei placuit loqui, tunc futurum id esse, *cum Deus desierit esse immutabilis*, quasi non fuisset alia aliqua periphrasis, quia τὸ nunquam, aut τὸ impossibile notari potuisset, quam hæc, quæ impingit in præceptum, Non assumes nomen Dei tui in vanum. Pergit

Adsertio

Adsertio, *Et insipida est illatio: Consummatio mali non emendat materiam mali. Ergo dispensatio non potest fieri in malo consummato.* Dixi in Gamologia *pag. 519. Consummatio vel perpetratio mali, non emendat naturam mali, nec aliquid pravitatis aufert, sed addit* Statim præcedunt hæc verba. *Quod Deus prohibet, malum est, & divinæ suæ voluntati adversatur.* Hoc autem Adsertio nec negabit, nec refutabit. Hinc concludo Quando illæ personæ contrahunt matrimonium, quas Deus non vult, sed seriò prohibet contrahere. Hi dum impiè faciunt, quod Deus fieri prohibuit, certè malè faciunt. Hoc perpetratum malum manet malum, quamvis personæ jam consummarunt. Quod autem à Deo prohibitum, & sic malum censetur in oculis ejus, hoc homo sua dispensatione nec potest, nec debet permittere. Non enim hoc in ejus potestate est, ut ex divino prohibito faciat concessum. Quæro an hæc illatio sit insipida ei, qui sapere didicit. Jam ingeniosè argutatur Adsertio & ait, *aut igitur ille concedat, dispensationem in delicto non perpetrato fieri: absurdè: aut admittat dispensationem in malo consummato, aut omnem dispensationem & veniam delictorum è medio tollat. Eligat cui dicat tu mihi sola places.* Respondeo. Primum non eligo. Qui enim non impingit in aliquam legem, is dispensatione non indiget Scit hoc *vel tres sis Agaso!* In secundo & tertio facilis est electio. Admitto dispensationem in malo aliquo consummato. Hinc tertium statim cadit, quod omnem dispensationem tollam. Jam ad rem. Admitto dispensationem in malo minore, quando quis contrahit matrimonium, solâ lege humanâ vel municipali, vel provinciali prohibitum. Bonum enim non est, honestas, magistratus leges inter hectas numerare. Sed non admitto dispensationem humanam, in iis matrimoniis, quæ ab ipso Deo Levit. c. XVIII. prohibita sunt, idque non solis Judæis, sed omnibus omnino hominibus, quales sunt, omnes prohibitiones ob proximitatem ibidem prohibentes. De hoc malo consummato dissero in Gamologia, quod dispensationem non admittat. Quid hic fuit difficile? *Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.* Pergit Adsertio. *Me debere probare, Deum hoc loco per consequentiam aliquid prohibuisse, antequam jus applicabile ponam* Respondeo Dico *Gamol. pag. 50.* me egisse de graduum prohibitione scilicet *Gamol. pag 373.* æque a Deo prohiberi, quæ per certam consequentiam prohibentur, ac illa, quæ αὐτολεξεὶ, & formaliter ibidem Levit. c. XVIII prohibentur. Quomodo

modo autem Deus gradus æquè distantes prohibuerit, & illos qui sunt distantiæ minores & sic viciniores, hoc ostendo citatâ paginâ antequam jus applicabile pono. Cur igitur Adsertio hoc fieri vult, quod dudum factum est? Pergit num. 30. ubi scribit, *se non accipere consequentiam, quam non nemo nuper nexuit ex Gen. XXXIX v. 20. Josephus ob adulterium imputatum conjectus est in carcerem, quo adservari consveverunt criminaliter accusati, ergo apud gentes ante legem Mosis adulterium fuit capitale. Risum teneatis amici!* Respondeo. Autor adsertionis, congeniti pruritus litigandi hoc loco se alligat, quando intra cancellos controversarum quæstionum se continere non potuit, sed huc illuc vagatur ad aliena, ut captet quod rodat & rideat. Non autem opus hic erat ullâ responsione, quia nullum Jota de carcere Josephi, & pœna capitali inde deducta, extat in tota Gamologia. Sed ut videat Dn: Adsertor, se quidem irrisorem non autem refutatorem hic agere, notet sequentia. (1) Apud Ægyptios & gentes alias, olim adulterii pœnam fuisse capitalem, nec ridere nec negare potest, nisi simul irriserit Magnum *JCtum Andream Tiraquellum de lege Connub. & Jure maritali. Arnisæum de Jure Connub: cap. 5. Inter Theol. Reformator. Martyrem. L. C. class. 2. cap. 2. Alexandrum ab Alexandro. Gen. dier. l. 4. c. 1. Cœlium Rhodiginum. lib. 20 lec. Antiq. c. 25. Agell. noct. attic. c. 20. Halycarnaß: l. 2. ubi notandum, quid observet Lipsius ad 4. annal. Taciti* (2) Quandò de carcere Josephi hic meminit, video quod textum non perpenderit, uti supra textum citabat ex. *2. Theß. 1. vers. 8.* quem non legerat, quique ut citatus erat miserè, ita non extabat in illa Epistola, Sic autem habet textus *Gen. c. XXXIX. v. 20. Quamobrem rapiens Dominus Josephum, tradidit ipsum in rotundam turrim, in locum ubi vincti Regis captivi erant, ut esset ibi Joseph in rotunda turri.* In hæbreo vocatur hic carcer, בית הסהר *Beth Hassobar*, domus roduntitatis, & additur fuisse carcerem regium, & iterum additur, ut esset in rotunda turri. Illa repetitio non est otiosa tautologia, sed ostendit summum Josephi periculum. Unde D. Gesnerus & alii eruditissimi commentatores rectè monent, Josephum hic conjectum esse in carcerem regium, istud est, cui vincti Regis exspectantes sententiam capitis solebant includi, quæ turris erat rotunda, munitissima, ne quis posset elabi. Ubi Josepho mortis supplicium imminebat. Et ne Adsertor rideat D. Gesnerum orientalium peritissimum, audiat interpretem o-

mni exceptione majorem, nimirum Davidem Psalm, CV. v. 18. ubi scribit. *Afflixerunt in compedibus pedes ejus (Josephi) ferrum transivit animum ejus*. Quid velint ultima verba discet ex Onkelos, ut intelligat idiotismum hebrinum. Quorsum autem hæc tam dura Josephum premunt, si Ægyptii adulterium pœna capitali puniendum non putârunt. Quorsum hic carcer, quem Moses tam accuratè describit, ut summum Josephi periculum ostendat.(3)tandem nosse debuit Adsertio, argumenta, quibus aliquid probatur, non omnia esse apodictica, dantur etiam topica quod ex Logicis repetendum fuisset. Quædam certam faciunt scientiam, quædam pariunt verisimilem sententiam, quædam præsumptionem. Qui autem conjicitur in carcerem, talem, in quo sententiam mortis expectantes detinentur, is quoque reus mortis censetur, quod topicè & rectè colligi potest. Licet non apodicticè, idque sine omni irrisione: (4) Nemo quoque colliget ita, quemadmodum Adsertio hic fabulatur. Josephus ob adulterium imputatum in carcerem conjectus est, in quo criminaliter accusati detinentur. Ergo adulterium apud gentes fuit capitale. Sed ita Josephus adulterii reus habitus in carcerem conjicitur, in quo capitis supplicio puniendi apud Ægyptios detinebantur. Ergo inde magna præsumptio nascitur, adulterium tunc etiam apud Ægyptios fuisse capitale, quod etiam extra hoc argumentum, historici apud hanc gentem capitale fuisse adserunt uno ore concorditer. *Ergo risum teneatis amici!* Sic jussit ridens Adsertio. Hic enim nihil est, quod Rhinocerotis nasum meretur. Ridendus potius, qui in capiendis muscis tam minimis operam locat, nec forsan novit, quos rideat, & quam facile ridens bilinguis ostendi queat. Sed hæc ad hieroglyphica Ægyptiorum ablegata sunto.

Num. 31. Incestum matrimonium non rescindi, sacerdotalem copulationem hoc impedire, opponebat adversa pars. Respondi. Gamol. pag. 520. Illam consecrationem non pertinere ad essentiam conjugii. Nulla talis consecratio est apud Persas, Indos, Turcas. At verum ibidem datur conjugium, quod nemo hactenus negavit. Consecratio non habet divinum mandatum, sed ob publicam honestatem introducta est. Adsertio regerit, n. 32. *ipse viderit, an hac major subsistat. Quicquid apud Turcas, Persas &c. non est in usu in matrimonio perficiendo, illud apud Christianos nil facit ad essentiam matrimonii.* Respon-

deo,

deo. Adsertio hic non refutat ullo verbo mea argumenta. Verùm, majorem aliquam mihi ostendit, sed suam, quam ipsi relinquo. Si meam voluerit, hanc statim pono. Sine quo verum & perfectum conjugium esse potest, illud ad essentiam conjugii non pertinet. Hæc major subsistit, nisi rem absque essentialibus constitutivis poni posse putet, contra sanam rationem. Absque sacerdotali copulatione, verum & perfectum conjugium esse, probo exemplo Persarum Indorum. Aut igitur concedat Adsertor, aut neget, verum apud infideles reperiri conjugium. Posterius non audebit, aliàs ex propriis verbis suis refutaretur, quæ scripsit adsertionis autor.

Num. 41. *At*, inquit, *quid in sacro codice copulam sacerdotalem quæramus, quæ postea ab Ecclesia introducta est.* Bene! Jam concludo. Ergo sacerdotalis copulatio vel non pertinet ad essentiam conjugii, aut non fuit verum conjugium, inter Abraham & Saram, Isaacum & Rebeccam, Zachariam & Elisabeth, inter Persas, Indos, Arabes &c. Adsertio juxta suam phrasim, nunc eligat hic, cui dicat. *Tu mihi sola places.* Sed ita eligat, ut videat quam impingat, quando censorem hic agit tam festinanter ac præcipitanter, simulque consideret sua verba. *Consecratio sacerdotalis apud Persas non est.* Persæ autem verum contrahunt matrimonium Hinc non sequitur, *illam consecrationem, nil facere ad essentiam matrimonii apud Christianos.* Imò hoc sequitur aut sequetur, Persarum & Christianorum conjugia specie differre. Quod nemo docuit. Sequitur num: 33 *Non putamus*, inquit, *illum hoc serio scribere, qui Ecclesiæ sanctos ritus & constitutiones, uti par est, magni æstimat. Aliter hac de re differit Carpzov: Jurisprud. ecclesia. l. 2. def. 142.* Respondeo. Hæc cohærent, sicut catena è sabulo. Toto cœlo distant hæ quæstiones. *An sacerdotalis consecratio sit de essentia conjugii?* Et illa: *An in Ecclesiâ Christianâ sacerdotalis consecratio omitti possit ac debeat?* Adsertio de priori quæstione hic mecum disputat, quam nego. Rationes hic addo. (1) Quia sine illa perfectum dari potest matrimonium. (2) Est ritus ab Ecclesia introductus (3) Est conjugii adjunctum. *Sic D. Gerhard. §. 454. & cæteri ferè omnes* Quis autem fando audivit, ritum externum & adjunctum rei, ad principia essentialia & constitutiva pertinere? Nullus! Adsertio frustra citat hic *Carpzov. lib. 2. def. 142.* qui sic scribit hoc loco. *Etsi verò dubitetur, an consecratio hæc sacerdotalis coram Ecclesia ad substantiam vel essentiam conjugii per se requiratur,*

 quam

quam litem jam nostram haud facimus. Vides lector, magnum Carpzovium, hanc quæstionem in medio relinquere, cur igitur Adsertio pro se citat locum illum? Cur confundit diversas quæstiones? Et quæ sequela? Ille ritus omitti non debet, sed necessarius est, jubente Ecclesia. Ergo conjugio essentialis est. Tædet temporis πολυτελεστατον ἀνάτωμα, hisce frivolis impendi. Num. 35. Adsertio parit nobis distinctionem, *inter incestum verum ex lege naturæ, & incestum impropriè dictum ex divina positiva.* Respondeo. Nascitur illa distinctio, ex hac falsa hypothesi. Dari quasdam prohibitiones Levit. c. XVIII. quæ jure naturæ prohibeant, nonnullas autem, quæ tantum lege positiva prohibeant. Sed cadente hac hypothesi cadit distinctio. In Gamologia ostendi *l. 3 tit. 14. pag. 723.* Omnes nuptias in gradibus Levit. c XVIII. prohibitis contractus, propriè vocari incestus Et sic incestum propriè dictum nasci, quando contra legem divinam contrahitur. Probant hoc omnes Orthodoxi Theologi. Citavi eo loco ordinat: Ecclesiast: Electoralem, & JCtor D. Carpzov. D. Schneidewin. D. Beustium. D. Klingium &c. His positis cadunt omnia illa, quæ n. 36. sequuntur. Recte quoque dixi, qui dispensationem petit & impetrat à Magistratu, ut in incestu suo duret ac diurnet, idem esse ac si fur petat & impetret licentiam furandi. Adsertio regerit, *non quid vis ex quovis sequi aliud esse, veniam dare impingenti in legem positivam.* Sed nihil hoc Syrupo proficit Adsertio, quia semper colligit ex falsa sua & nunquam probata hypothesi, quod jam sæpe inculcavi. Licentia furandi petitur & datur contra divinam prohibitionem. Licentia permanendi in matrimonio, contra Levit. c. XVIII. contracto, & consequenter incestuoso, itidem petitur & datur contra divinam prohibitionem, utrumque jure naturæ omnibus hominibus est prohibitum, *Nullus homo*, inquit Moses, *ad proximum vel proximam carnis accedat?* Non igitur quodvis ex quovis concludo, sed rectè colligo. Sed Adsertio in asserendo prompta est, infelix autem in probando.

Num. 57. Non erubiscit Adsertio ita disserere. *Ineptum* (adversarius) *dicit argumentum. Dissolutio matrimonii prohibiti non legitur in verbo Dei. Ergo non facienda ex hac ratione, quia non opus sit dissolutione in matrimonio, quod ab initio nullum est.* Respondeo, An plene & candidè ex Gamologia hæc citata sint, judicet lector. Sic disserit Gamologia *lib. 2. tit. 7. pag. 521.* Quidam ita opponunt. Dissolutio talis

matri-

matrimonii, sc: incestuosi, fundamentum non habet in verbo Dei. Nullibi enim legitur in Scriptura. Incestum esse causam divortii. Sed hoc argumentum ineptum est. Nam quando cohabitatio & obligatio à Deo non permittitur, nullum fit divortium, nulla dissolutio. Divortium semper præsupponit vinculum, dissolutio colligationem. Sed gradus qui à Deo prohibiti sunt, nudâ istâ prohibitione clamitant, personas in his gradibus repertas, non conjungi à Deo, quia prohibitio & conjunctio sibi plane contrariantur. Ergo magistratus hic non dissolvit conjugium, sed id nullum fuisse adserit, quod prohibitio divina, nullum esse dudum declaravit. Hactenus Gamologia. Hæc mea sunt, & hæc clara sunt. Quare autem Adsertor mea non retinet, sed mutilat, & in nebulas cogit? Cordatus disputator, qui pro veritate disputat, candidè agit, candidè allegat adversæ partis argumenta, quæ non metuit. Qui autem non pro veritate, sed pro sua autoritate disputat, ut possit θέσιν φυλάττειν, ille occultat, resecat ac præterit, quæ pungere videntur, ut obscura & mutila sint, quæ in scenam producit. Ut aliquid refutasse videatur, iis, qui rem non accuratè intelligunt, quando interea nunquam nervum tetigit, nec tangere audet. Adsertio dicit quidem loco laudato. *Sed nondum probavit hoc matrimonium* (scilicet Levit. c XVIII. prohibitum.) *esse nullum.* Respondeo. Loquitur mecum de matrimonio à Deo prohibito. Levit. c. XVIII. num 17. Hic dicit. Nondum probavit hoc esse nullum, quando dilucida probatio à quolibet legi potest in citato Gamologiæ loco. Prohibitio clamitat personas in his gradibus prohibitis non conjungi à Deo, quia prohibitio & conjunctio sibi planè contrariantur. Hæc fuerunt verba mea, hæc probatio luculenta. Ubi Deus non conjungit, ibi nullum vinculum. Ubi nullum vinculum ibi nullum conjugium, ibi nulla conjugii dissolutio. Ergo adsertio me male accusat, quando inquit. *Nondum probavi hoc esse nullum* Quando ipse autor adsertionis probationem in contextu Gamol. pag. 52. extantem, recusat, præterit, dedita opera omittit, dum videt illam refutatam non esse, nec refutabilem. Interim pergit. *Nil respondere potuit ad nostra argumenta Pisp. Juris n 528.* sed sæpe remisi ad Gamologiam meam, ubi dixi non fuisse tunc mei instituti totum Responsum percurrere. Jam autem ad illum locum n. 528. supra solidè respondi. Ille enim numerus, si quis alius, pessimè impingit, quando ait: *Matrimonium*

cum uxore fratris defuncti, non potest haberi pro nullo, quia non sit prohibitum per jus naturæ, sed saltem propter honestatem. Absurdum absurdissimum, quod paulo ante demonstratum dedi.

Num. 38. *Verus Incestus*, inquit Adsertio, *ad lineam rectam pertinet, & obliquam proximam, quem jure naturæ & gentium prohibitum esse novimus. Probet is idem in linea obliqua remotiore. Et Mose non poterit, si vult, ostendat locum, aut faciat bonam non falsam consequentiam.* Respondeo. Verum Incestus ad omnes divinas prohibitiones excurrit, in gradibus omnibus prohibitis. Qui ducit uxorem, quæ nubit viro in gradu aliquo, à Deo Levit. c. XVIII. prohibito ille incestas contrahit nuptias, quod supra ostendi, & summo consensu citatorum Theologorum ac JCtorum probavi. Probavi idem ex Mose, & ostendi locum, *Levit. c. XVIII. v. 6. Nullus omnino homo, ad proximam carnis accedat.* Prohibetur hoc omni homini. Ergo hoc juris naturæ est, quod ipse Bellarminus non ausus est negare. Sed in omnibus specialibus prohibitionibus latet talis aliqua carnis proximitas, propter quam prohibet divina prohibitio, quæ hic non admittit matrimonium. Sic omnes illæ prohibitiones participantes de proximitate prohibita, sunt jure naturæ, jure divino prohibita, non autem jure positivo, quod solos obligabat Judæos in suis generationibus. Sed supra de his fusius egi. Quid Adsertio jam obtinuit suo prognostico. *Ex Mose non poterit, si vult, ostendat locum.* Dudum illum locum ostendi, quem hic quoque ostendo & repeto. Ex his refelluntur etiam illa, quæ n. 40. leguntur, idque magis, si legere libet Gamol. pag. 521. Num. 41. Adsertio recoquit odiosâ tantologiâ copulam sacerdotalem, quæ omnia supra sunt examinata & semel confutata.

Conclusio adsertionis n. 42. 43. & bellum & agmen claudit. *Plura*, inquit, *possent addi contra alia Gamologiæ paradoxa, nisi pigeret temporis, in rebus istis levioris ponderis, jacturam facere* &c. Respondeo. Autor adsertionis ne unum Gamologiæ paradoxon hactenus ostendere potuit, quicquid illa docuit, partim textibus divinis superstructum est, partim aliis rationibus nititur solidissimis, quibus autoritas magnorum Theologorum ac JCtorum accessit, quorum autoritatem veritate fultam. Dn. Adsertor cereâ suâ singularitate de ponte dejicere, sisyphio hactenus tentavit nisu. Si quid ipsi παράδοξον forte visum fuit, liberè istud indicare debuisset. Integrum quadriennium

elapsum